Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM MEDICAM

De

MEDICAMENTIS SPECIFICIS, eorumque FUNDAMENTIS,

Conſenſu

Gratioſæ Facultatis Medicæ in illuſtri

SALANA

examini publico ſubmittunt

PRÆSES

THEODULUS KEMPERUS,

Med. Doct.

&

RESPONDENS

JOHANNES JUSTUS BÖHME,

Oſterodenſis,

in Auditorio Medico,

Horis conſuetis

d. Julii, M DC LXXXII.

JENÆ, Literis WERTHERIANIS.

Caput I.
Varias ſpecificorum medicamentorum acceptiones exponit.

§. I.

FRequentiſſimi in medicina uſus eſſe SPECIFICORUM nomen, nemini, qui vel à limine ipſam ſalutavit, ignotum eſſe poterit. Quid verò per illa ſibi velint Medici, non adeo primo intuitu apparet: cum variæ, eæque diverſiſſimæ ſignificationes illis tribuantur. Ex nominis etymo ad eas inveſtigandas parum ſubſidii ſperabis, cum nec purè latinum ſit, nec in civitatem latinam ab ullo, quod ſciam, Latino ſcriptore receptum. E numero potius eorum eſt, quæ artes ac ſcientiæ poteſtate ὀνοματοποιητικῇ ſuos in uſus condere ſolent. Dicitur autem *ſpecificum* â *ſpecie*, Philoſophico ſenſu ſumpta voce, notatque illud, quod ſpeciem facit, ſeu determinat. Uſitatum & vocabulum in Logicis & prima philoſophia, ubi differentiæ ſpecificæ, formæ ſpecificæ &c. occurrunt. Medicamenta itaque vocantur ſpecifica, ſive quod certæ morborum ſpeciei, ſive quod in ſpecie huic illive parti ſuccurrant, ſive quod forma ſpecifica effectum ſuum edant. Audiunt hinc aliàs ſpecialia, particularia & opponuntur generalibus aut univerſalioribus, quæ generatim ſeu pluribus ſcopis inſerviunt.

§. II. Quod ſi vero uſum apud Autores conſulamus, *latisſimo* ſenſu notant ſpecifica medicamenta illa omnia, quæ non primarum qualitatum virtute in corpora noſtra

agere obſervantur; ſed quorum virtus à peculiari elementorum compoſitione, ſive naturâ illa ſit, ſive arte producta, dependet, quo ſignificatu eadem accepit *Paracelſus Archidox. l. 7. de Specif. edit. Huſeri t. I. p. 813. & ſeqq.* ubi odorifera, anodyna, diaphoretica, purgantia &c. ſpecifica vocat. Pariter *Thomæ Eraſto diſp. med. 22. §. 5. & 6*, ſpecifica pharmaca eadem ſunt, quæ occulta, nempe quorum virtus ab occultis, non vero notis qualitatibus proficiſcitur. Pari ac majori etiam latitudine aliis medicamenta ſpecifica vocari videntur *ſelecta* & in certo genere optima, quæ præ aliis effectum quendam præſtant, quo ſenſu *Cnöffelio meth. med. Febb. Epid. p. 110. Butyrum ♄ii, ⊖ fraxini* dicuntur ſpecifica ruptoria. Quam acceptionem ex ipſo *Paracelſo* hauſiſſe videntur, qui remedia *d. l.* propoſita pro optimis ac ſelectisſimis venditat. Cum vero ſupra dicta, ultra primarum qualitatum ſphæram agentia medicamenta, non unius ſint generis, ſpecifica *ſtrictè* accipiuntur pro peculiari medicamentorum, occultis qualitatibus agentium, quæ alexipharmacis & purgantibus contra diſtinguuntur, claſſe, quam iterum bifariam diviſere. Alia enim ex his medicamentis ſeorſim corroborare dicuntur certum aliquod membrum, ut officium â natura ipſi demandatum eò promptius peragere poſſit; ob id *roborantia, confortantia, appropriata* dicta. Alia peculiari cuidam morbo, ejusque cauſæ ita oppoſita eſſe ſcribuntur, ut hæc nunquam citiùs ac tutiùs, quàm his medicamentis tolli poſſit. Diviſionem eam ſuppeditant *Sennert. lib. 5. Inſtit. mai. p. 1. ſect. 1. c. 2. p. 910. Greg. Horſt. Inſtit. med. diſp. XX. Exerc. V. p. 39. Herm. Grube de medicam. ſimpl. facult. cognoſc. ſect. VII. Art. 1. p. 126.*

§. III. Utriusque vero hujus ſpeciei medicamenta, jam à *Galeni* usque tempore in medicis ſcholis uſitata, ad noſtra tempora fidâ ſucceſſione dimanarunt. Certa enim unicuique parti ſpeciatim dicata eſſe remedia, quæ illam ſolam reſpiciant, clariſſimè non uno in loco ille docet. Sic enim *lib. V. de ſimpl. medicam. facultat. c. 23. Cæterum,* inquit, *ut in talibus facultatibus proportio quædam ineſt, eundem in modum*

quæ-

quærendum eſt in omnibus, licet nomen non ſit impoſitum. Vocantur enim quædam oxydercicæ facultates, quæ oculos, ubi nullum illis inſit ſenſibile pathema, malè tamen munere ſuo funguntur, corrigunt & in integrum reſtituunt. Quod, poſtquam de reliquis quoque ſenſibus verum eſſe, dixiſſet, ſequentia ſubjungit: *Porro ſi quis ſimilitudinem plus etiam extendat, per quamque noſtri particulam talem exiſtere medicamentorum facultatem neceſſe eſt, à qua videlicet melior redditur partis ipſius, actio, ut v. c. ventris actio.* Et ſubſequenti hinc capite ſingularem iſtam facultatum diſtinctionem à partibus, quibus medicamenta opitulantur, deſumtam, tradit, ubi alia ophthalmica, alia hepatica, alia ſplenetica, pleuritica, ſtomachica vocat. Hanc etiam ſententiam *lib. 1. de compos. med. ſec. loc. c. 1.* defendit contra eos, qui medicamenta ſpecifica negaverant, & ſcommatibus petierant, quærentes, *utrum præſes eis imperet, quemadmodum in tragœdia:*

Abi quidem tu flumina ipſa ad Inachi,
Thebas at age tu pergito Cadmeias:

ſic in his, tu ad hepatis portas, tu ad veſicam, vel renes duos proficiſcere. Atq; iſtam de prima ſpecie medicamentorum ſpecificorum doctrinam univerſa ſchola Galenica tàm apud Arabes, quàm Latinos non tantum propagarunt, ſed magis etiam auxerunt, ac nobilitarunt, ut omnium ætatum ſcriptores abunde teſtantur. Ita enim laudatus antea *Eraſt. lib. de Occult. medicamentor. poteſtat. c. 31. Hoc enim tempore,* ait, *imprimis commendant, quæ inſitam partis temperiem atque facultatem augere, & conſervare, debilitatam confirmare, collapſam erigere ac fovere poſſunt.* Exempla quoque paulò poſt ex *Galeno* addit, qui *lib. 8. de comp. ſecundum locos c. 7. uvam paſſam* hepati familiarem & propriam eſſe, & *c. 8. bepar lupinum* eidem juxta totam ſubſtantiam, non ſecundum unam aut alteram, qualitatem, conferre ſcribit. Plura recenſet idem *Eraſtus c. 51. p. 91. Hinc fortaſſe,* inquit, *factum eſt, ut humanum cranium epilepticis, (marium quidem maribus, fœminarum autem fœminis) cerebra gallinarum & aliarum quarundam avium cerebro, pulmones vulpis & ericii pulmonibus,*

monibus, interiorem ventriculi gallinarum mergarumque tunicam ventriculo, lupinum hepar hepati, inteſtina & excrementa lupi inteſtinis eorumque doloribus; uſta hominis oſſa oſſibus, renes renibus, horum calculos eorundem calculis, & membrum fere quodlibet comeſtum ſui generis membro conducere exiſtimatum tum eſt. Idem ante ipſum totidem quaſi verbis exprimit *Fernel. de abditis rerum cauſis c. 17.* Videri etiam poteſt *Hieron. Mercurialis de Compoſ. medicam. c. 10.* ubi præter *Galen.* ex *Plinio, Avenzoar, Rabbi Moyſe* ipſoque *Democrito* exempla allegat.

§. IV. Nec, quod mirandum, diverſum in hoc à *Galeni* ſchola ſentire auſi ſunt acerrimi aliàs ejusdem reformatores *Paracelſus* & *Helmontius.* Ille enim *lib. 2. de viribus membr. intern.* ſingulis viſceribus internis peculiaria confortantia aſſignat, videlicet cordi ☉ *potab. magiſt. perlar. eſſ. croci, macis, corall. meliſſæ*; cerebro *ol. lunæ, liquorem ſapphyri* ⊕*li*; hepati *ſpodium*; pulmonibus ♀ &c. quibus adeò cordis, cerebri, hepatis &c externi titulum tribuit. *Helmont.* verò *tr. natura contrariorum neſcia,* prolixus eſt in adſtruendis hujusmodi medicamentis ſpecificis ſeu appropriatis, eaque talia eſſe ſcribit, per quæ natura à caſu ſuo reſurgat, & in quibus Archeus noſter ſuas reperiat delicias. Et hæc medicamenta fermenta ſingularum partium reſtaurare, ipſisque ſimilia eſſe putat, non aliter, ac cibi fermento ventriculi. Exempla horum tum paſſim, tum *tr. in herb. verb. & lap.* & *poteſt. medicam.* profert. Utrorumque horum tanquam anteſignanorum veſtigia legerunt, ipſorumque ſententiæ ſubſcripſerunt recentiores omnes, qui hinc inde ſpecifica hæc medicamenta inculcant. Vid. *Sennert. inſtit. l. cit. c. 2. & 4. Walæus meth. med. p. 119. partes,* inquit, *quomodo corroborentur, incertum eſt, videmus tamen interim à corticibus aurantiorum peculiariter confortari ventriculum; à myrobalanis conditis conſerv. anthos, cerebrum; à nuce moſchata condita, cor.* Exempla plura exhibet *Macaſius promptuar. mat. med. l. 2. ſect. XI.* & *Frid. Hoffmannus, meth. med. l. 1, c. 19.*

§. V. Alteram quoque ſpecificorum claſſem, nempe eo-

pe eorum, quæ certo cuidam morbo vel cauſæ morbificæ ſeorſim contraria & oppoſita ſunt, eâdem cum prioribus origine gaudere, iisdem ferè autoribus conſtat. Ipſe enim *Galenus* non aliud innuiſſe videtur, cùm *lib. 2. de compos. ſecundum locos c. 2.* inter alia, Archigeni adſtipulatus, de paluſtris teſtudinis ſanguine ita loquitur: πλὴν εἰ μὴ τοῦτο φησὶν ὡς ἁπᾶσαν ὀνίνησι κεφαλαλγίαν κατὰ πάντα καιρὸν. οὕτω γὰρ καὶ ὑμεῖς ἀντιπάθειαν αὐτοῦ μαρτυρήσομεν, οὐκ ἐνέργειαν, ἧς ἔχει κράσεως: *Niſi ſane hoc vult, quod omnem capitis dolorem juvet, idque omni temporis occaſione. Ita enim & nos contrarietatis teſtimonium ei præbebimus, non efficaciæ, quam ex temperamento habet.* Exempla quoque hujus generis plura apud *Galenum* reperiuntur, quæ hanc ipſius ſententiam confirmant. Sic *lib. II. de medic. ſimpl. facult. oſſa humana* combuſta in epilepſia & arthritide pro ſpecifico commendat, eorumque uſu multos percuratos fuiſſe, ſcribit. In aliis morbis alia dilaudat: ut in colica *galeritam* ſive *alaudam criſtatam*, in morſu canis rabidi *cineres cancrorum* &c. quæ omnia hic adferre nimis longum ac ſupervacaneum foret. Multo minus operæ pretium eſt, ſingulos *IbnSinæ*, *Aetii*, aliorumque locos citaſſe in quibus vel à *Galeno* tradita transſcripſerunt, vel alia ex propria credulitate iisdem adiunxerunt. Videri interim poteſt ante citatus *Eraſtus de occult. pharm. propr. c. 44. 46. & 51.* & *Fernel. meth. med. l. 1. c. 2.* Ubi tot exiſtere ſcribit medicamentorum facultates, quot affectus contra naturam ſimplices, paremque eſſe affectuum & remediorum numerum.

§. VI. Uti verò prioris, ita etiam poſterioris hujus claſſis ſpecifica apprimè ſtabiliverunt chimicæ ſectæ proceres. Ita enim *Paracelſus lib. 4.* Von den natürlichen Waſſern *p. m. 156:* Alſo ſeyn in der Artzney ſolche ſpecifica, die den morbum hinnehmen/gleich wie das Waſſer das Feuer. *Helmontius* ubivis ejusmodi pleno, quod ajunt, ore commendat, quæ ſpinam radicalem, ſeu acidum ſpecificum morbi tollant, qualia in pleuritide conſtituit *virgam cervi* vel *tauri*, *cruorem hirci*, *ſuccum cichorei ſylveſtris*, *fl. papaveris ſylveſtris*, *tr: pleur.*

fur.

fur. §. 32. Et *tr. poteſt. med.* §. 29. *Veneni*, inquit, *eryſipelatis & dyſenteriæ ſanatio eſt in lepore.* Strenuum quoque horum ſpecificorum aſſertorem ſe ſiſtit *Tachenius Hipp. Chim. c. 19. p. 154.* ubi ſcribit, quædam ſimplicia certis morbis ſpecialiter conferre e. g. *millefolii ſuccum* hæmorrhoidibus, *fumariam* ictero, *bruscum* urinæ, *Gvajacum & ſarzam* lui ♀ eæ aliaque quam plurima aliis. Plura verò recenſet in *Clave* c. 9. p. 269. & ſeqq. Ubi *oculos 69.* vulneribus, *lap. ſpongiæ* ſtrumis, *lap. percarum* ſtranguriæ, *lap. bezoar* lipothymiæ, *lap. oſteocoll.* osſibus fractis ſpecifice ſubvenire exiſtimat, eò quod unumquodque horum ſpecificum acidum peccans, minus vero aliud, imbibat atque abſumat. Longius quoque eandem doctrinam deducit *Principe morborum cap. XI. p. m. 110. & ſeqq.* Verùm enimvero nimis prolixum foret omnium autorum ſententias afferre: infiniti & inanis res laboris exempla cuncta adponere, ubi ſingulis morbis ſingula addicuntur ſpecifica. Omnes enim ac ſinguli ferè practicorum libri horum medicamentorum ad nauſeam usque ingentem catalogum exhibent. Inter hos verò eminet *Hartmannus*, qui *praxin* ſuam *chimiatricam* ſpecificis remediis & ſecretis maximè ditavit, ut exinde tanquam ex cornu copiæ depromi poſſint. Et quo graviores, periculoſiores, diuturniores morbi ſunt, eo major ſpecificorum numerus contra ipſos excogitatus proſtat, uti exemplo quartanæ, calculi, inprimis epilepſiæ patet, cujus ſpecifica peculiari diſſert. enarravit & excusſit *Excell. Pechlinus.* Cui addi poteſt *Macaſius lib. poſteriori S. 12.* usque ad finem, & *Hoffmannus l. cit.* ut alios taceam.

Cap. II.
Fundamenta medicamentorum ſpecificorum Therapeutica tradit.

§. I. Ut

§. I.

UT autem, quid de duplici ſpecificorum medicamentorum claſſe ſentiendum ſit, eò clariùs appareat, FUNDAMENTA eorum perpendamus, neceſſe eſt, quibus ipſa innituntur. Conſtitui verò hæc poſſunt *duplicia*; alia enim *indicantis* vicem gerunt, & *Therapeutica* commodè vocantur; alia verò actionem ipſam reſpiciunt, *principia* nempe & *modum*, quo effectum ipſis attributum edant. *Priora* itaq; ſeu THERAPEUTICA quod attinet, illa ratione diverſæ ſpecificorum naturæ diverſa ſunt, prout vel priorem vel poſteriorem claſſem reſpiciunt.

§. II. Quicunque ejusmodi ſpecifica aſſerunt, quæ ſingula membra ſeu partes ſeorſim roborare poſſint, ita ut actiones ſuas perfectius edant, loco fundamenti ſupponunt peculiare quoddam in ſingulis membris principium, ſive peculiarem virtutem, à qua actio illa dependeat. In hoc autem deſignando aut determinando mirè inter ſe variant. *Galenus* nunc in genere illud principium unius cujusque membri ſubſtantiæ proprietatem conſtituit; ita enim inter complures locos alios *l. 6. de Hipp. & Plat. decret.* expreſſis verbis ait: *Ex propria igitur ſpecie ſubſtantiæ propriam etiam functionem eſſe oportet.* Nunc verò illud calidum ſingulis partibus inſitum vocat, & à calido influo diſtinguit, *lib. de Uſu pulſuum c. 2*; per calidum verò iſtud nil niſi ſpiritum quendam inſitum, ab influo diſtinctum, *Galenum* intellexiſſe, teſtatur Doctiſſimus ejus interpres *Caſp. Hoffm. de cal. inn. & Spirit. lib. 2. c. 4. p. m. 95. & ſeqq.* Vid. etiam *Fuchſius inſtit. med. l. 1. ſect. 8. c. 1.*

§. III. Eandem hanc de Spiritu inſito ſententiam unicè ſuam fecere chimicæ medicinæ addicti, *Paracelſus* cum omnibus ſuis aſſeclis. Hi enim uti omnibus rebus naturalibus principium aliquod activum ſpecificum tribuunt, quod nunc Spiritus, nunc radicis, nunc ſeminis, aſtri &c. titulis inſigniunt: ita non tantum humano corpori univerſalem ejusmodi rectorem, ſed ſingulis membris ſeorſim particulares ſpiritus inſitos adſignant, quorum beneficio actiones debitas

 exer-

exerceant. Exempla horum apud dictum jam *Paracelſum* innumera leguntur, ubi nihil niſi aſtra microcoſmica, virtutes, ſpiritus &c. crepat, quæ hic afferre ſupervacaneum foret. Videri hac de re latius poteſt, qui totam Paracelſicam philoſophiam ac medicinam methodicè tradere conatus eſt, *Severinus, Idea medicinæ philoſ.* c. 11. ex quo hæc tantum adſcripſiſſe, ſufficiat: *Quapropter*, ait, *proprietates, actiones, officia omnium partium ſpiritualibus illis corporibus adſcribimus. Ventriculum concoquere, quia ſpiritualia corpora obtinet, proprietatibus & ſcientiis talis* ♀, ⊖*is &* ☿*ii vigentia, quæ alimenta ingeſta reſolvere, ſeparare, digerere & ſignaturis conſentaneis veſtire poſſunt.* Idem etiam de reliquis viſceribus affirmat. *Helmontius* ut in plurimis, ita in hac hypotheſi, *Paracelſum* non deſerit, niſi quod unico hoc actionum principio, ſpiritu, non contentus ſit, ſed plura excogitaverit, ut poſtea dicetur. Spiritum inſitum variis in locis inculcat inprimis *tr. ſextupl. alim. digeſt.* §. 67. *Sexta tandem*, inquit, *& ultima digeſtio in culinis ſingulis membrorum perficitur. Suntque totidem ſtomachi, quot membra altilia. In hac nimirum innatus cuique loco ſpiritus ſuum ſibi coquit alimentum.* Et *tr. catarrh. deliram.* §. 2. *Porro*, ait, *dixi alias, vel à fœtus initio deinceps cuique membro præſidere aſſiſtentem rectorem ſpiritum inſitum, alterum verò influum à corde manare, inſiti expergefactorem & conſolatorem, qui tamen nec determinatur, nec individualiter diſponitur, niſi prius ab inſito ſubactus.* Cumque ſpiritum ſeu *μόϱιον ἐνορμῶν Hippocratis* in genere alibi archei nomine notet, ſtatim hunc quoque in univerſalem & particulares membrorum diſpeſcit, quos viſcerum naucleros nominat. Vid. *tr. archeus Faber* §. 7. & 9. it. *retent.* §. 3.

§. IV. Non autem ſufficit *Helmontio* vel inſitus ſpiritus, vel archeus, ſed fermenta inſuper comentus eſt, quæ nunc abſolutè ſingulis membris aſſignat, nunc in ſpiritu inſito tanquam theca collocat. Aſſeruit hæc pluribus ac deſcripſit, *loco ante citato, de ſextupl. dig.* ubi *notavi*, ait, *non ſegniter, quod partes ſingulæ ſingula obtinuerint fermenta, cum horum ſit inexcuſabilis in transmutando neceſſitas*: item *catarrh. deliram.* §. 2. *docui*, inquit,

alibi

alibi, unumquodque membrum vegetari juxta virtutem inſiti fermenti, adeoque nec ſperari transmutationem ad novam generationem, niſi mediante fermento. Conſequenter exinde ſubauditur, omnem vegetationem à ſpiritibus fieri, adeoque debilitatam membrorum digeſtionem pendere ex ſpirituum horumque fermenti diminutione. Hanc *Helmontii* de fermentis doctrinam poſtea promptè amplexi ſunt alii medicinæ proceres, miſſa interea ſpiritus inſiti mentione. Sic *Willis tr. de ferm. c. 5. p. m. 16.* totus in eo eſt, ut ſingulis partibus peculiare fermentum aſſerat. Poſtquam enim cordi fermentum à natura inditum adſcripſerat, *præter*, inquit, *hoc fermentum in cordis foco conſtitutum, è quo ſanguinis motus & effervescentia plurimum dependent, ſunt & alia diverſæ indolis paſſim in viſceribus recondita, quorum ope chylus (qui eſt ſanguinis rudimentum) & ſpiritus animalis, ejus quinta eſſentia, ritè elaborantur.* Hinc *ventriculo cerebro, partibus genitalibus* marium ac fœminarum, *lieni, hepati* propria fermenta tribuit. Idem ſentit de *renibus Pharm. rat. p. 1. ſect. 4. c. 1. p. m. 86.* Nec minus *Franciſc. de Le Boe Sylvius* huic ſententiæ favet, dum *app. Prax. tr. 5. §. 491. & 502.* ſemen in teſtibus generari ſtatuit beneficio fermenti σπερματοποιητικȣ̃. Præ cæteris quoque in fermentorum horum doctrina tradenda & explicanda occupatus eſt *Joh. Frid. Helvetius Dirib. med. c. 2. p. 6. & 7. Etiam*, inquit, *ſpecialia corporis viſcera omnia ſuos peculiares habent ventriculos glandulasque, quarum lympha ipſis ſecundum ſuæ propriæ naturæ requiſitum eſt cauſa hujuscemodi fermenti orexin ſeu appetitum excitantis, per quod fermentum omnis cibus mutatur in nutrimentum ad ſuſtentandam vitam, ex ratione officii hujus vel illius ventriculi, cerebri, pulmonum, cordis, hepatis, ſplenis & renum.* Omnes, proinde morbos ex deſtructione horum fermentorum varia deducit, eorumque ſanationem in reſtauratione illorum unice reponit: quocum ante recenſiti fermentorum naturalium Patroni planè conſentiunt. Hoc alterum fundamentum eſt ſpecificorum medicamentorum, nempe eorum, quæ certas quasdam partes præ reliquis confortando

& ſanitatem conſervare, & morbos illarum curare putantur, atq; in his ſpiritus inſitus, archeus partis turbatus, læſus; fermentum vitiatum, & plus minus deſtructum indicantis vicem gerit.

§. V. Nec *altera* ſpecificorum ſupra enumeratorum claſſis ſuis deſtituitur FUNDAMENTIS. Licet enim *Galenus* in iis tradendis non admodum laboraverit, Chimici tamen ſic ſatis ſolliciti fuere, ut aliquod eruerent. Hi enim poſtquam didiciſſent, in cauſis morborum deſignandis non ad fictitias *Ariſtotelis* ac *Galeni* qualitates elementares primas, ſed *Hippocraticas δυνάμεις amarum, ſalſum, dulce, acidum, acerbum & ſexcenta alia* reſpiciendum eſſe, ulterius progredi non dubitarunt, ſingulisque morbis ſpecificam aliquam ex hiſce *δυνάμεσι* tanquam cauſam aſſignaverunt, quæ ſemper & ubique hunc morbum, non alium, producat. Hanc cauſam *Helmontius* ſæpius *fermenti* nomine indigitavit, cum ab ejus minima quantitate tota ſanguinis maſſa inordinatos motus concipiat; nonnunquam vero ſpinam & tribulos *tr. magnum oportet* §. 25. metaphoricè appellavit, quod ab illa tum cujusvis partis ſpiritus inſitus, tum univerſalis archeus irritetur. Talia fermenta peculiaria & ſpinas in omni pleuritide, peripneumonia ac dyſenteria accuſat, *tr. pleur. furens* §. 13. & 26. imò nonnunquam in archeo ipſo hærere putat characterem ſeminalem, & incorporeum fermentum, ut in podagra, morbo caduco, mania, aſthmate &c. vid. hac de re *totus tr. Ignot. hoſp. morb.* inprimis §. 93.

§. VI. Atque iſtam de fermentis morborum ſpecificis hypotheſin alii plures prompte amplexi ſunt, ac, uti ſupra, quot viſcera tot fermenta, ita hic, quot morbos tot fermenta ſtatuerunt. Præ cæteris vid. *Senn. de conſenſ. & diſſ.* c. 18. ut & *Frid. Hoffm. de meth. med.* l. 1. c. 19. p. 257. & *ſeqq.* ubi ita ſcribit: *Nos enim exiſtimamus omnem ferè morborum progreſſum vitioſo cuidam deberi fermentorum ortui, hæc enim vel in viſceribus chylificationi & ſanguificationi deſtinatis propullulantia,*

lantia, vel ad totam maſſam ſanguineam & partes alias ſub alimentorum involucro & ſchemate delata, quantas excitant tragœdias, quantas turbas? Ex qua cauſa porro febribus omnibus, tam intermittentibus, quam continuis, apoplexiæ, epilepſiæ, cachexiæ, hydropi, ſcorbuto &c. peculiaria ejusmodi fermenta tribuit.

§. VII. Nec ſatis fuit dicto modo ſingulis morbis fermenta aſſeruiſſe ſpecifica, ſed poſtquam ex *Helmontii* & cumprimis *Tachenii* ſententia, tam univerſa rerum principia, quam *Hippocraticæ* ſupra dictæ δυνάμεις ad duplex ſalinum principium reducta ſunt: hæc quoque ſpecifica fermenta morbifica unicè alteri eorum, quod magis hoſtile cenſetur, nempe acido, adſcripta ſunt. Infinitas enim utriusque ſalis ſpecies eſſe, nec alcalibus ſolùm, ſecundum *Helmontium*, ſed acidis quoque, ſuam eſſe rempublicam, præter *Tachenium* latius affirmat *Excell. Ettmüllerus Med. Hipp. Chim. c. 2. §. 4. p. m. 44.* Hinc morbos quoque ferè ſingulos à peculiari ac ſpecifico morboſo acido oriri, exiſtimat idem *Tachenius Clav. Hipp. l.* ſupra citato. *Sunt* inquit, *in corpore humano plura & infinita acida. Quorum quædam fiunt per degenerationem morboſæ cauſæ, quæ non ab aliis, niſi ſuis & propriis magnetibus percipiuntur & attrahuntur;* & hinc aliud acidum lienare ſcorbuticum, aliud acidum ſtrumarum, aliud acidum ſtranguriæ, aliud acidum lipothymicum, aliud acidum vulnerum, aliud acidum oſſium conglutinationem impediens, affert. Et ſic de reliquis morbis rem ſe habere autumat, imprimis uteri ac pulmonum; omnes quippe ab odoribus quibusdam ſpecificis, iisque acidis, originem ducere cenſet. Specificum itaque hujusmodi, ſeminale, morboſum principium, ſive fermentum ſalinum in genere, ſive acidum in ſpecie, *indicantis* vicem ſuſtinet in poſterioris claſsis medicamentis ſpecificis, inque eo cardo omnis curationis conſiſtere creditur, ut cuivis acido ſuum ſpecificè contrarium alcali reperiatur, quod id ipſum imbibat, invertat atque tollat.

Cap. III.

Principia modosque agendi ſpecificorum proponit.

§. I.

COnſideratis ita utrorumque ſpecificorum fundamentis therapeuticis, operæ pretium erit ut AGENDI PRINCIPIA & MODUM, quo effectum iſtum producere creduntur, aliquantum penſitemus. Ad *prioris* itaque *claſſis* virtutem ſpecificam quod attinet, *Galenus* unice *toti ſubſtantiæ*, ſeu ſubſtantiæ peculiari proprietati illam acceptam refert, qualem tum alexipharmacis, tum purgantibus tribuit, *lib. 5. de medicament. ſimpl. facult. c. 18. & 23.* Quid verò per totam ſubſtantiam ſibi velit, non una omnibus mens eſt. Non aliud ipſum per totam ſubſtantiam, ſive ſubſtantiæ proprietatem intellexiſſe, quam temperamenti certam proprietatem ſeu qualitatem, quæ ex diverſis diverſarum partium miſti temperationibus oritur, pluribus probat *Eraſtus diſp. 22. §. 28. & 29. p. 98*; cum nullam formam præter temperamentum concedat in mixtis. Alii tamen contrarium ab eo ſentire videntur præprimis *Sennert. Inſtit. mai. l. ſupra citat.* Hi itaque, quibus cum *Scaligero* ſumma impudentia videbatur, omnia ad manifeſtas illas elementares qualitates, primas & ſecundas, reducere, ſive ſimpliciter ſecum invicem remixtas, ſive inter ſe variè refractas, ſpecificorum vim, ut purgantium & alexipharmacorum, ab occultis quibusdam qualitatibus derivandam eſſe, exiſtimaverunt, quarum ratio, non à materiali corporum principio, elementis ſcilicet, ſed à nobiliori, formâ, ſeu λόγω ὀσιάς, dependeat; quæ ſententia eſt *Hier. Mercurial. l. 1. de comp. medic. c. 10. & Sennert. l. paulo ante cit.* Forma verò hæc ſubſtantialis, à qua ſpecificorum derivant virtutem, iterum duplex ſtatuitur; alia nobilior,

quæ in viventibus, plantis ac animalibus anima vocatur; alia autem ignobilior, quæ in viventibus ab anima producta & generata, hâc præſente ſubordinatæ formæ rationem habere, illâ vero decedente, & in iis, quæ nunquam animata fuêre, ſpecificæ formæ officio fungi creditur. Ab hacce forma vim medicamentorum, ex demortuis vel plantis vel animalibus deſumptorum occultam, derivant: ut vim *hellebori* purgantem, *rhabarbari* ſiccantem, *cranii humani* epilepticam &c. Has enim nullo modo materialium partium compoſitioni adſcribi poſſe putant. Habitaculum autem & ſubjectum hujus formæ ſpecificæ, poſt mortem etiam ſuperſtitis, conſtituunt humidum primigenium, ſeu radicale, ſpiritu innato turgidum, quod, quamdiu ſupereſt illibatum in medicamento, tamdiu ipſum vires ſuas in medicina utiles retineat. vid. latius præter *Sennert. l. cit. Macaſius prompt. mater. med. l. 1. c. 7. p. 63. & ſeqq.* Imo abſolute à ſpiritu inſito vim occultarum qualitatum, & in ſpecie medicamentorum appropriatorum deducit *Sennert. Inſt. l. 1. c. 5. p. 40.*

§. II. Chimici in hoc principio agendi medicamentorum appropriatorum determinando unice ad ſpiritum ſuum inſitum confugiunt, tanquam formam cujusque rei ſpecificam, quam ſingulis rebus naturalibus attribuunt, ut ſupra dictum. Aperte enim teſtatur *Paracelſus labyrinth. med. c. 10. p. m. 279.* item *de ſignatur. rer. lib. 9. p. 913*, ſpiritum inſitum naturalium rerum, nempe medicamentorum, habere formas ac ideas microcoſmi, & ſi aſſumantur ipſa, ſtatim unumquodque eorum abire in determinatum membrum, cujus formam poſſidet. Id quod declarat exemplo *Euphragiæ*, quæ cum gerat ideam oculorum, in corpus aſſumpta in oculis ſe ſiſtat, eosque confortet. Idem confirmat *Severinus l. cit. c. 15.* qui ideo medicamenta ſpecifica *ſpiritualia* vocat, quod per ſpiritum inſitum agant, eaq; ex crudis præparanda eſſe, docet. Nec alia mens fuit *Helmontii*. Licet enim aliquot in locis principia agendi illa in genere tantū attingat, *tr. confirm. morb. ſed in anim. ſenſ.* ubi *ſunt quippe*, inquit, *in ſimplicium exerci-*

tu di-

tu diſperſa dona, per quæ ad amplitudinem generis accedunt, *adeò ut appropriata atque ſpecifica agnoſcantur à Deo directa ad omnimodam quorundam ſanationem*; *& tr. de magnet. vulnerum curat.* principia hæc vocet *proprietates nobiliores ex phantaſia formarum mixti oriundas* adde etiam *diſpenſ. modern. §. 5*; alibi tamen ſapori ſpecifico ſeminali totum hoc negotium tribuit, *Poteſt. med. §. 12. & ſeqq. Diſpenſat. modern. §. 16.* qui tamen ſecundum eundem non eſt autor actionum nobiliſſimarum, *ſed fermentalis fracedo ſeminis, à ſpiritu inſito, cujus theca ſemen eſt, promanans.* Confer ὁμόψηφον *Wirdigium med. ſpirit. lib. 1. c. 28. p. 223.* & *lib. 2. c. 19. p. 163. & ſeqq.* ubi latius hanc ſententiam perſequitur.

§. III. MODUS itaque, quo agere creduntur hæc principia, eſt, ut ex dictis patet, *ſimilitudo*. Hanc enim jam tum ipſe *Galenus*, licet craſſiori Minervâ, in tota ſubſtantia agentibus agnovit, plurimaque hinc ſpecifica deduxit, quod, ſimilia ſimilibus amica eſſe, cenſebat. Ex hoc fundamento partes animalium, ſi non omnium, tamen certorum, partibus humani corporis auxilium ſingulare afferre exiſtimarunt, e. g. *cor cervi* & *oſſiculum* in eo repertum, ſive baſin arteriarum cartilagineam & oſſeam factam, cordi, *pulmones vulpis* pulmonibus humanis, *hepar lupinum* hepati, *veſicam ſuillam* & *caprinam* veſicæ nimis laxatæ, (quam in incontinentia urinæ commendat *Hartm. in praxi chim.*) &c. Et ſimilitudo hæc per Chimicos latius extendi cœpit, dum non modò per ſpiritum inſitum membrum ſimile ſimili congruere, ſed vegetabilia quoque & mineralia humani corporis ideas gerere docuerunt, ut paulò ante dictum. Spiritus enim medicamentorum ſpecificorum inſiti, vel balſamum illud peculiare, ſpiritus inſitos partium vel fermenta augere, & ejus vitia corrigere affirmant, placando ipſos furibundos, ut liberi ſint ab omni inquinamento, demandatumque officium rite peragere poſſint. Unde ſpecifica hæc ab *Helmontio tr. retent. p. m. 439.* vocantur *remedia penitioris ſyngamiæ* Et hæc cauſa eſt, cur ſpecifica univerſales curationes æmulari dicantur à

Se-

Severino, quoniam eodem planè modo uti univerſalis medicina univerſalem & radicalem vitæ balſamum, archeum univerſalem, confortare creditur, ita ſpecifica particulares ſpiritus inſitos reficiant ac conſervent. Quin reciprocè, ad probandam medicamenti univerſalis exiſtentiam, adducunt ſpecifica, ſive ſingulis partibus & morbis dicata medicamenta. Vid. *Sennert. de conſenſ. & diſſ. c. 18. p. 320.*

§. IV. Quo verò magis conſtet ſimilitudo ſpirituum inſitorum rerum naturalium cum ſpiritibus partium corporis, aſtra in ſubſidium vocantes, nunc ab his utrorumq; originem repetunt, & à cœleſtibus corporibus eum cum rebus ſublunaribus communicari volunt (quemadmodum *Fernel. de abditis rerum cauſis lib. 1. c. 10* aliique formas rerum à cœlo dependere ſtatuerunt); nunc tantum ab eorum influxu inſigniter refici atque augeri credunt. Hinc non tantum ſingulis corporis humani partibus ſuas ſtellas, ex planetarum inprimis numero, addixerunt, ſolem cordi, lunam cerebro, venerem renibus &c; ſed plantis æque ac metallis ſua ſidera præfecerunt, adeo, ut non tantum denominationes exinde deſumptæ utrisque communes ſint, ſed, quæ eidem aſtro ſubeſſe putantur, viribus quoque convenire credantur, à quibus vel ſingulis ſeorſim, vel ſub certa cum aliis configuratione & poſitu, generationis principium, aut inſigne virium augmentum accipiant. Sic plantæ ac mineralia *ſolari, aut meliſſa, aurum,* cordi; *lunaria*, cerebro &c. religiosè ſatis dicantur, vid. *Paracelſ. de Grad. & compoſ. recept. lib. 4. c. 2. Sennert. de conſenſ. & diſſ. l. cit. p. 325. & ſeqq. Schröd. Pharm. l. 1. c. 9.* quorum hic integrum rerum ſolarium lunarium, Saturninarum &c. catalogum exhibet. Hinc porrò eſt, quod ſpecifica medicamenta, non niſi certo planetæ ſupra terram poſitu, quem dignitatem vocant, vel peculiari cum aliis συζυγίᾳ, colligi jubeant. Illo enim tempore influxum virtutis aſtralis fortiorem eſſe, certò ſibi perſvadent. Qualis verò ſit illa vis, & quomodo in ſublunaria derivetur, latius vide apud *Wirdigium de med. Spir. l. 1. c. 26.* cui ſententiæ *Sennert.* calculum ſuum addit *l. c. p.*

 348.

348. *Cum enim,* inquit, *inferiora hæc à ſuperioribus gubernentur, & cum iis conſenſum habeant, non abſurdum eſt, pro vario cœli poſitu, vires plantarum quarundam fortiores, vel debiliores eſſe. Putantque plurimi doctiſſimi Viri, quod notiſſima & celeberrima contra epilepſiam planta pœonia non omnium votis ſatisfaciat, cauſam nullam aliam eſſe, niſi quod non juſto tempore colligatur.* Plura exempla paſſim videri poſſunt apud materiæ medicæ Scriptores ſupra citatos. Similitudinem iſtam Spirituum inſitorum membrorum humani corporis, cum ſpiritibus remediorum ſpecificorum confirmare porro nituntur *ſignatura* iſtâ, qua nonnulla partes corporis humani referunt. Sic e.g. *flos pœoniæ clauſus, nux moſchata, capita papaveris* &c. capiti dicantur, cum ejus figuram æmulentur. Plura de hoc characteriſmo legi poſſunt apud *Joh. Bapt. Portam in phytognomonicis, Quercetanum. Crollium, Sennert. de conſenſ. & diſſ. l. c. p. 128. Wirdig. med. Spir. l. 2. c. 19.*

§. V. De *poſterioris claſſis* medicamentorum ſpecificorum *principio agendi* res longè intricatior eſt, cum pauci alicujus mentionem fecerint, aut in id inquiſiverint, ſed ſola empirica notitia contenti vixerint. Ex quo factum, ut abſurda plurima in ſpecificorum cenſum irrepſerint, quæ cœco ductu & credulitate hodienum de manu in manum traduntur, & ex libris in libros transſcribuntur. *Galenus* licet exempla horum plura ſubminiſtret, quo tamen principio effectum edant expreſsè non addit, niſi quod alibi ad ſubſtantiæ proprietatem confugiat, ad quam unicè refert quod *nymphæa* contrariè affecta ſit ſemini *lib. 5. de medicament. ſimpl. facult. c. 23.* Eandem itaque ſine dubio in *ſtercore lupino* ad curandam colicam, in *cineribus* ♋ pro curando morſu canis rabidi &c. agnovit. Qualis verò ſit illa ſubſtantiæ proprietas nullibi expoſuit. *Galeni* ſectatores ad unum omnes ad occultas qualitates recurrunt, quæ unde ab ipſis deducantur, ſupra expoſitum eſt. Nec certiores in determinando hoc principio Chimici ſunt. *Paracelſus* nullius apertè mentionem facit, tacitè tamen idem conſtituere videtur, quod in ſuperiori

clas-

claſſe admiſit, nempe ſpiritum inſitum, ſeu aſtrum ſeminale. *Helmontius tr. de Magn. vuln. cur.* iterum phantaſiam formarum mixti, ſeu formam vel totjus homogenei, vel partis alicujus integralis, in ſubſidium vocat, à qua magnetem etiam virtutem ſuam attrahendi habere, credit. Mox verò itidem ad ſalium proprietates confugit, quas ubique ſub ſaporum ſpecificorum titulo, *tr. poteſt. med.* proponit, easque contrarietate ſua, vitioſa ſemina morborum, arbori ſanitatis inſerta, deſtruere docet. Subinde verò ideas rerum ſeminales amplectitur, quæ contrarietate compeſcant affectum in Archæo excitatum. Quo ſuffultus fundamento, in *lepore, animali timidiſſimo, conſtituit ſanationem dyſenteriæ & eryſipelatis, quòd productum ſeminale paventis manſuetudinis mortificet virus ex incandeſcentia venenoſa natum l. c. §. 29.* Bene multa exempla, eaq; valde ridicula vid. apud *Wirdig. l. c.* Ad haſce ideas idem *Helmont.* refert poteſtatem dotalem cujus meminit *tr. in herbis, verbis, & lapid.* quâ remedia citra commiſtionem realem ſolo attactu ad Archeum agere vult per modum ſpeculi, emittendo quaſi radios lucidos, à quibus vim ☿*ii* anthelminticam, vim *cinnabaris* antepilepticam, aliasque fixorum metallicorum virtutes deducit.

§. VI. Alii ſupra laudatas Hippocraticas δυνάμεις pro agendi principiis dictorum medicamentorum habent, quæ, fermentis morbificis è diametro contraria, eadem immutent ac tollant. Cum verò non in genere à dictis δυνάμεσι morbi dependere putentur; ſed à certa earum ac determinata modificatione: in medicamentis quoque ſimiliter contraria modificatio concipitur. Propterea non abſolutè acri fermento opponitur acidum; acido alcali, ſed κατ᾽ ἐξοχὴν hoc determinatum acidum opponitur acri epileptico, illud alcali acido lipothymico, &c. Anguſtioribus cancellis principia hæc incluſit *Tachenius*, dum unicè ad alcali illa revocavit, quod pro varia ſui modificatione diverſiſſima acidorum genera (à quibus, ut ſupra dictum, omnes omnino morbos derivat) abſorbeat. Proinde tot alcali ſpecies, quot acida in rerum natura

& morborum inprimis cenſu ſint, concipit. Vide *locos ſupra citatos*.

§. VII. Nec minor de *modo agendi* poſteriorum ſpecificorum diſſenſio eſt. *Galenus* illum in genere *ἀντιπάθειαν* vocat, qua *ſangvinem paluſtris teſtudinis* capitis dolorem omnem ſedare cenſuit *lib. de compoſ. ſecundum locos c. 2.* Eandem contrarietatem in horum medicamentorum virtutibus admittit *Paracelſus*, comparatque ei, quæ eſt inter ignem & aquam, ut ex *loco cap. 1. citato* patet. *Helmontius* quoque, licet alibi naturam contrariorum neſciam acerrime defendat, hic tamen à contrarietate non abſtinet, quin re & verbis illam adſtruat, dum ideas pavoris ac manſvetudinis, ideas iracundiæ & excandeſcentiæ tollere, ſcribit, ut ex paulo ante dictis patet. Paulò altius in rem penetrare videntur ii, quos ab Hippocraticis *δυνάμισι* medicas has virtutes deducere, diximus. Hi enim per chimica experimenta varia oſtendere facile queunt, quomodo rerum *ἐνέργειαι* per contraria variè immutentur, v. g. quomodo acidum per additum alcali, vel alcalinum infringatur, acerbum dulce reddatur &c. Omne igitur negotium ab hiſce confici putatur vel abſorptione, vel inverſione, vel præcipitatione vel modis ſimilibus. Peculiarem modum agendi ſpecificis hiſce tribuit *Tachenius*. Hic enim miſſa omni contrarietate ad oppoſitum tranſit, nempe ad amicitiam, quam inter acidum & alcali ſupponit. Ob hoc ergo arctiſſimum neceſſitudinis vinculum, acidum morboſum trahi putat ab alcali medicamentoſo, ſimul ac ipſum odorem acidi percepit. Comparat agendi hunc modum cum eo, qui in *magnete, lapide ſerpentis capillati* (quem deſcribit *Kircherus in regno naturæ magnetico*) obſervatur, quorum ille ferrum ad ſe vi quadam trahit, hic v. vulneri à cane rabido inflicto admotus, venenum avidiſſime extraxerit. Vid. *Clav. Hipp. Chim. l. c. p. 260. & ſeqq.*

§. VIII. Atque hæc ſunt diverſa principia, diverſique modi, quibus medicamenta ſpecifica poſterioris ordinis à variis autoribus, agere, cenſentur. His commode annecti

pos-

poſſunt duo alia fundamenta ſpecificorum medicamentorum, quibus ipſa adſtrui ſolent, quorum alterum priori claſſi proprium, alterum utrique commune eſt. Illo uſus eſt *Galenus lib. 2. de comp. ſecundum loc. c. 1.* contra eos qui ſuis temporibus ſpecifica certæ parti ſolum præ aliis proficua negaverant. Ex eo enim rei veritatem ſatis patere exiſtimat, quod è contrario nonnulla reperiantur, quæ certis ſolum partibus infeſta ſint, ex gr. *cantharides* veſicæ, *lepus marinus* pulmonibus; adeo ut ex hoc ſolo contraſentientes convinci poſſe, putaverit. Alterum, idque commune fulcrum, eſt experientia, quam omnes horum medicamentorum Patroni à ſuis partibus ſtare contendunt, quæque luce meridiana clarius utrorumque efficaciam oſtendat. Quid tamen his, ut omnibus hactenus recenſitis fundamentis, & quantum, fidendum ſit, ſubſequenti capite videbimus, poſtquam ſingula eorum penitius paulò luſtraverimus.

Cap. IV.

Fundamenta recenſita eo, quo propoſita ſunt, ordine, expendit.

§. I.

Non autem ſuffecerit, fundamenta tantum adduxiſſe, quibus hactenus ab autoribus nominatis medicamenta ſpecifica ſuperſtructa ſunt; ſed in veritatem eorum paulo penitius inquirendum erit, cum ex diverſitate eorum ſatis conſtet, ipſa talia non eſſe, quæ omnem oppoſiti metum excludant. Primo igitur conſiderandа veniunt ea, quæ *therapeutica* dixi, quæque in utraque claſſe indicantis vicem ſuſtinent, deinde ad reliqua progrediendum.

dum. Familiam illorum ducit hypotheſis ea, quæ ſingulis partibus corporis humani principium peculiare activum decernit, a quo omnis omnino actio proficiſcatur. Ut vero eo magis pateat hujus rei negotium, in genere notare paucis licebit, Philoſophos olim complures, cum ſecundum *Ariſtotelem* duo rerum principia agnoverint, materiam & formam, quæ, tanquam diverſæ ſubſtantiæ, ad rerum compoſitionem concurrant, etiam corpori humano, præter materiam, propriam ejusmodi formam ſubſtantialem ſpecificam adiudicaſſe, animam nempe ſenſitivam, eamque nunc dixiſſe totalem, quæ totum corpus, nunc partialem, quæ partem quandam, ut hepar, lienem &c. informet, ejusque actiones perficiat. Verum enim vero non tantum à recentioribus naturæ conſultis omnibus forma iſta ſubſtantialis, tanquam abſurdiſſimum figmentum, invictis argumentis confutata & exploſa eſt, ut legi poteſt inter alios apud *Claubergium, Phyſic. contr. ſ. 192. & ſeqq. Vid. etiam la Logique ou l' art de Penſer III. part. Chap. 18. p. 362.* ſed oſtenſum etiam eſt planisſime, nec Philoſophum, nec interpretes ejus Græcos per formam, ſeu formale principium, unquam ſubſtantiam aliquam intellectam voluiſſe, ſed mera accidentia, quæ tamen nihilominus rei alicui eſſentialia dici posſint. Vid. hac de re *Excell. Sturm. diſſ. de ſororia artis & naturæ cognatione cap. 2.*

§. II. Corpus itaque humanum vivens nullam aliam formam, ſeu nullum operandi principium aliud neque quoad totum, neque certa membra, agnoſcere poteſt, quam partium ſolidarum, liquidarum, ac ſpirituoſarum proportionem, diſpoſitionem, motum, à quibus legitime habentibus, actiones ejus omnes ac ſingulæ, per necesſitatem quandam naturalem, peraguntur. Ex quo porro conſequitur, illud quod omnibus partibus conjunctim debetur, non poſſe uni ſoli, nempe ſpirituoſæ vel ſpiritibus, adſcribi, quod ab *Helmontio* factum videtur, dum ſuæ de Archeis hypotheſi *μόριον ἐνορμῶν Hippocratis* falſo prætexuit; neque hos formæ rationem

ul-

ullo modo ſuſtinere poſſe, ut nonnullis hactenus creditum fuit, qui ipſis animæ ſenſitivæ provinciam mandarunt, cum ipſi quoque ſubſtantiæ materiales, atque adeo partes totius integrantes exiſtant. Quo ſuppoſito in ſpecie iam ulterius ſpirituum inſitorum falſitas nullo negotio demonſtrari poteſt. Is enim quem *Galenus* ſub calidi inſiti titulo primus forſan propoſuit, ex falſiſſima ipſius de generatione hypotheſi promanavit. Nam cum duplex idque diverſum illius principium agnoverit, ſemen utriusque parentis, & ſanguinem maternum, ex quibus diverſæ partes formentur; non potuit non diverſum ipſis calidum aſſignare, quod, tanquam forma, illas à ſe invicem diſtingueret. Vide ſis hac de re *Caſp. Hoffm. de calido inn. & ſpir. lib. 2. c. 4.* ubi hanc *Galeni* hypotheſin latius examinat, tandemque ita concludit: *Mihi in hac rerum omnium confuſione ſic videtur: Inſiti ſpiritus nulli ſunt, nec calidum inſitum nativum, tu puta, in partibus ſolidis, excepto corde. Si enim circumſpicias, nec in philoſophia locum invenient; nec in medicina. A Philoſophia tam longe abſunt, quam longe abeſt totum illud σόφισμα de corporatura ſeminis in partes ſolidas abſumpta. Quod cum Galenus nullibi probarit, non eſt cur cordatum aliquem ea res moveat.* Et falſitatem illius dogmatis ſatis demonſtrarunt recentiorum obſervationes, quando microſcopiorum uſu deprehenderunt, omnia animalis membra jam tum in ovulo imprægnato, ejusque carina, delineata eſſe, poſtea vero ſolum evolvi & augeri, quod cum celeberrimo anatomico, *Malpighio de pulli form.* confirmat accuratiſſimus *Peierus epiſt. prodromo Harderi phyſiol. annexa.* Quod ſi ergo ex una & eadem materia omnes formantur partes, unde ſingulis partibus peculiaris ac diverſus ſpiritus inſitus ortum duxerit? Cum certo hodie conſtet, nec cordi præ reliquis muſculis prærogativam ullam competere. Deinde ex eo quoque non inepte hanc de ſpiritu inſito ſententiam redarguit laudatus *Hoffm. l.c.* quod de ſpiritus eſſentia ſit moveri, ſeu ferri de loco in locum, cujus contrarium de inſitis affirmatur, qui certo cuidam loco incluſi ſint.

Un-

Unde aperte hos cum Scherbio σιδηρόξυλον appellat, *Inſtit. l. 2. c. 150. §. 1. & 16,*

§ III. Neque majori certitudine vel probabilitate nituntur ſpiritus inſiti Chimicorum, *Paracelſi*, *Severini*, archei univerſales ac particulares *Helmontii*. Vel enim hiſce idem illud calidum inſitum, ſeu ſpiritus inſiti partium ſolidarum *Galeni*, ſuppreſſo duntaxat ejus nomine, innuitur, quod in aliis eorum ſententiis notare licet; vel alterum illud Philoſophorum Barbarorum & *Stoicorum* principium activum hoc pacto ab orco revocatur, à quo ſine dubio omnis forma ſubſtantialis originem traxit. Horum quippe ſententia fuit, ut verbis utar *acutiſſimi Hoffmanni Præfat. lib. de cal. inn. p. 4. & ſeqq.* “Duo eſſe rerum principia, Deum & materiam, ſive agens & patiens. Et quemadmodum materiam, non ſecus ac Peripatetici, duplicem conſtituebant, primam ſeu omnium, & ſecundam ſeu ſingulorum: ita in Deo duo conſtituebant, eſſentiam ipſam divinam, quam & intellectum divinum vocabant, & rationem quandam divinam. Ab intellectu divino procedere ſeu fluere, ajebant, corpus quoddam ætherium, lucidum & perſpicuum, quod ab octava usque ſphæra ad centrum mundi effuſum, ante quidem rerum conſtitutionem, ſeorſim ab aliis corporibus eſſet, in ipſa autem conſtitutione, ſeu miſtione, ſeu generatione, corpora ingrederetur, eademque animaret, quod eſt, vivifico calore perfunderet, perfuſa in eo ſtatu ſervaret, contineretque, ne diffluant. Hoc corpus vocabant illi modo eodem cum Deo ipſo nomine, Deum, mentem, naturam & eſſentiam communem, cauſam; modo proprio, animam ſeu ſpiritum mundi.” Hanc, inquam, *Stoicorum* ſententiam ſuam fecere chimiæ dicti proceres, eamque ulterius figmentis ſuis auxerunt, ac terminis inuſitatis, abſurdis, adeo obvelarunt, ut aliis ſub ſpecie novitatis imponeret, ipſique Philoſophiæ æque ac Medicinæ reformatores audirent. In univerſali igitur ſpiritu, per totum mundum diffuſo, ſingularum ſpecierum ideas conceperunt, quæ materiam, cui jungitur particula

cula ſpiritus ejus, ad hoc corpus compoſitum determinaret, non vero ad aliud, omnemque actionem ab iſto ſpiritu, non verò materiâ, dependere exiſtimaverunt. Unde eſt, quod ſpiritibus hiſce materiæ incluſis, adeoque inſitis, talia attribuerint, quæ alias Deo ipſi, vel ſpiritui alii propriè dicto unice competunt: qualia ſunt ſcientia, prædeſtinatio, amor, odium &c. quorum exempla apud *Paracelſum*, *Severinum*, *Helmontium* ubique occurrunt. Quemadmodum itaque omnibus aliis corporibus naturalibus, ita & humano corpori, ſingulisque ejus membris particulam iſtius ſpiritus in generatione, tanquam formam, infuſam eſſe, credunt, quæ ipſis vitam largiatur. Quam vero falſa ſit hæc de cauſa continente *Stoicorum* ſententia, tam ex origine patet, quam ſæpius laudatus *Hoffmannus* *d. l.* tradit; tum invictum argumentorum robur oſtendit, quo illam tanquam impiam & abſurdam deſtruxit, quodque inter alia ex *Alexandro Aphrodiſæo l. de miſt.* hauſit, ut ibidem *p. 10.* & *11.* videre eſt. Hic verò illa omnia adſcribere, nimis longum foret. Negato itaque & exploſo ſpiritu univerſali, ſua ſponte cadunt ſpiritus particulares ſeu inſiti, qui illius partes ſunt; neque hinc vel ventriculo, vel cerebro, vel hepati &c ſpiritus aut archeus rector tribui poterit, qui operationum, ab iis profectarum, cauſa ſit. Hiſce addi poſſunt ea, quæ *Conringius med. Herm. lib. 2. c. 2. p. 194.* & *c. 9. p. 297.* contra ſpiritus dictos latius diſputavit.

§. IV. Sed de ſpiritu inſito ſatis. Accedamus nunc ad fermenta viſcerum, quæ ſuperius ex *Helmontio* aliisque tanquam actionum principia adduximus, &, quid veri iis ſubſit, videamus. Hæc vero licet adeo decantata hodie ſint in ſcholis medicis, nemo tamen hactenus inveniri potuit, qui eſſentiam eorum & conceptum exprimere auſus fuerit. Quæ enim in genere de fermentis naturalibus & artificialibus hinc inde proponuntur, tum diverſiſſima, ſibique contraria, ſunt, tum nullo modo ad partes corporis earumque actiones accommodari poſſunt. Equidem proprie per fer-

menti vocem innuitur, tum ſecundum *Williſium*, tum *Kergerum*, ſubſtantia, cujus particulæ in vigore & motu jam poſitæ, alias in maſſa fermentanda otioſas ac torpidas exſuſcitant, & in motum vindicant. *Helmontius* vero inſolenti auſu nugatur: *fermentum eſt ens creatum, formale, quod neque ſubſtantia, neque accidens, ſed neutrum, per modum lucis, ignis, magnalis, formarum &c. conditum à mundi principio in locis ſuæ monarchiæ ut ſemina præparet, excitet & præcedat. tr. Cauſæ & Init. natural. §. 23.* Verumenimvero purum putumque nonens eſſe ens neutrum, nemo ſanioris philoſophiæ præceptis imbutus non manibus palpat. Longè enim firmior eſt illa omnium rerum in ſubſtantiam & accidens, ſeu ſubſtantiam & modum ejusdem, diviſio, quam ut hiſce *Helmontii* nugis convelli posſit. Nonnullibi autem fermentum partium cum inſito ſpiritu pro uno eodemque habere videtur, dum eosdem effectus utriqve adſcribit. Ex quo ſtatim patet, quam lubricis imo nullis fundamentis nitatur hæc fermentorum doctrina, cujus Patroni adeo in eſſentia rei & primo conceptu à ſe invicem diſſentiunt.

§. V. Deinde licet ſupponamus cum *Williſio* aliisque fermenta viſcerum eſſe ſubſtantias, de natura eorum & origine tamen nova eaque maxima ſubnaſcitur controverſia. Ita enim partium numero adſcripta, vel ſpirituoſis vel liquidis accenſeri debent (nam ſolida eſſe nemo ſana mente præditus dixerit) vel diverſum ab iis ac quartum genus conſtituere. Poſterius concedi non poterit, cum omnes in *Hippocraticam* partium diviſionem, etiam ipſe *Helmontius*, conſentiant; neque etiam prius, ſpiritus quippe tam vitales, quam animales in omnibus corporis partibus ejusdem naturæ & eſſentiæ ſunt, neque alius v. g. ad ventriculum, alius ad lienem aut hepar &c. fertur; ſed eorum actiones variæ unice à partium ſolidarum, in quas diſpenſantur, diverſimoda ſtructura & admiranda fabrica dependent, à qua etiam hæ differentiam ſuam ſortiuntur. Eadem liquorum vitalium ratio eſt; horum enim vita ac ſalus in continuo

motu

motu conſiſtit,quo ceſſante è veſtigio corruptionem ſubeunt, id quod de ſanguine extra dubium, qui cordis ſat violento motu propulſus nullibi ſubſiſtere poteſt, ut aliquas ſui partes, easque diverſas,pro fermento viſceribus relinquat. Neq; etiam lympha unquam in glandulis diverſis diverſa ratione eſſentiæ dici poteſt, cum omnis ubique iisdem affectionibus ex. g. colore, ſapore, &c. prædita deprehendatur.Non enim in privatum cujusque viſceris uſum fabricatæ glandulæ videntur, ſed publicum; partim ut ſuperfluum à nutritione ſerum,unà cum ſpirituum animalium parte, reliquo ſanguini iterum jungatur, circuletur, & à corruptione vindicetur, cui negotio conglobatæ inſerviunt; partim ut ſeri portio à reliquo ſanguine ſecreta, & in cavitates quasdam depoſita, vel aliis uſibus publicis inſerviat, vel tanquam inutilis excernatur, quod conglomeratarum munus eſt. Ut adeo citra, ſi non contra rationem ac experientiam ſcripſerit *Helvetius, loco ſupra citato*, ſingula viſcera peculiares habere glandulas, propriamque lympham, quæ fermenti cauſa ſit.

§. VI. Origo porro horum fermentorum dubia imbecille eorum robur facilè oſtendit. *Willis* enim *l. c.* ea modò cum *Helmontio* à natura membris ſingulis impoſita ſcribit, & ita in partium conſtituentium primigeniarum numerum refert; modò ipſa particulas has illasve liquidi ſanguinei eſſe ſcribit, à corde in viſcera diverſa propulſi. Sic partem ſanguinis terreſtrem & limoſam ex tartaro,& ſale fixo inprimis,conſtantem lienis,ſalem volatilem cerebri,ſalem lixivioſum renum fermentum conſtituit. Vid. *l. c. p. 20. it. anatom. cereb. c. 10. p. m. 50. Pharm. rat. p. 1. ſ. 4. c. 1. p. m. 86.* quæ quam bene invicem ac cum veritate conſentiant, nemo non videt. Quod ſi in prima generatione ſeu partium delineatione à natura viſceribus indita ſunt, determinandum eſt, quidnam ſint, an ſub triga illa partium ante nominata contineantur,nec ne. Sin ex ſanguine demum accedere dicuntur, oſtendi debet, quomodo in prima hujus liquidi per cordis

 motum

motum diſtributione, partes aliæ magis ad hanc, aliæ magis ad illam, ferantur, & unde hic ordo continuò imperturbatus conſtet. Neutrum hactenus præſtitum, nec præſtari unquam poterit. Ad odorem autem quod attinet, ex quo fermenti præſentiam in cerebro & renibus colligit *Williſius*, is rectius forſan transeuntibus continuo ſalibus adſcribitur, qui in meatuum poris ſubtiliores atomos relinquunt poſt mortem adhuc ſenſibiles. Id verò ex accidenti & materiæ neceſſitate potius, quam naturæ inſtituto peculiari fieri, clarius puto eſſe, quam ut prolixa probatione indigeat. Prima enim vice facta ſanguinis circulatione, ante particularum ejusmodi præſentiam, non minus feliciter contingebat ſecretio liquorum & ſpirituum, quam poſtea, adauctâ maximè earum copiâ.

§. VII. Ipſa denique fermentatio viſcerum functionibus explicandis minus convenire videtur. Secretio enim & immutatio alimenti in propriam ac determinatam ſubſtantiam, quam fermento tribuit *Helmontius* & *Helvetius*, apertè pugnat cum ſecretione & immutatione aliorum in corpore humorum v. g. chyli in ventriculo, ſanguinis in corde, bilis in hepate, urinæ in renibus &c. quam tum ipſi, tum omnes ei adſcribunt. Illa quippe tantum abeſt ut fermentatione tanquam motu quodam & diſſolutione particularum ulteriori peragatur, ut potius illam omninò excludat, & quiete ac condenſatione ſeu coagulatione unice abſolvatur. Hæc verò licet motum quendam admittere videatur, an tamen fermentationis ille ſit, dubitare omnino licet; cum ſine ullo turgeſcentiæ ſenſu contingat, quod in fermentatione transmutativa nunquam accidit. Sic chyli in ventriculo & inteſtinis elaboratio, absque omni tumultu, & pacate peragitur, perinde ac in chimicis ſolutionibus ac extractionibus, per appropriata eaque blanda menſtrua factis, contingit. Unde etiam longe accuratius hodie hiſce operationibus mechanico-chimicis quam fermentationi æquiparatur, inprimis cum menſtruum lymphatico-ſpirituoſum, aliæque circumſtantiæ huc

unice

unice colliment. Chyli in ſanguinem transmutationem non fermento cordis ac fermentatione, ſed calore ſanguinis digeſtivo à motu ejusdem rarefactivo dependente fieri, ſatis demonſtrarunt *Excell. Bohnius Exerc. Phyſiol. 8. §. 2. & accuratiſſimus Pechlinus diſſ. de corde artic. XXV. & ſeqq.* In reliquis viſceribus, hepate, renibus, pancreate &c. ipſa loci conditio fermentationem omnem proprie dictam prohibet; nam glandularum, in quibus fermentum collocant, jam tum minimarum, pori anguſtiores longe ſunt, quam ut ὄγκωσιν aliquam ſanguinis introſuſcepti admittere poſſint. Quin longe commodiùs & accuratiùs citra ullum fermenti figmentum in glandulis ſecretio liquidi, ſeu potius fluidi, varia contingere poteſt. Suppoſito enim, uti certiſſimum eſt, totius ſanguineæ maſſæ motu interno, ſeu fermentativo, ſeu rarefactivo, quo omnes particulæ legitimè attenuantur ac præparantur, ſola pororum in viſceribus, eorumque glandulis diſpoſitio ſufficit, quo in ſingulis determinatæ particulæ ſecedere queant, e. g. bilioſæ in hepate, ſalivoſæ in glandulis oris, urinoſæ in renibus, &c. Hujus rei fidem facit experimentum illud, quo liquor in arteriam emulgentem injectus per pelvim & ureteres tanquam viam ordinariam, ſi non omnis, tamen ex parte redeat. Quod licet à *Malpighio* infelici ſucceſſu tentatum ſit, uti teſtatur *de ſtructura renum cap. 3.* unicâ tamen obſervatâ circumſtantiâ à *Caſp. Bartholino Specim. Adminiſtrat. anatomic. p. 68.* notatâ, præſtari promptè poteſt. Quod verò non omnis redeat, ſed plurimus in ſubſtantia renum tumida ſubſiſtat, ſine dubio cauſa eſt, quod nec glandulæ, nec ductus renum fibroſi, ſpiritibus animalibus diſtenti ſint, uti in vivo corpore ſolent. Plura, eaque egregia, de fermentis viſcerum legi poſſunt in *Pœonis & Pythagoræ Exerc. familiar. V. VI. VII. VIII.*

§. VIII. Sed ad *alterum* therapeuticum fundamentum progrediendum, nempe illud, quod unicuique morbo certam ac ſpecificam cauſam ſeu fermentum tribuit, non niſi ſpecifico ac determinato medicamento deſtruendum. Ad

hanc ſententiam quod attinet, certum quidem eſt, nonnullis morbis univerſalibus, qui totam liquorum vitalium maſſam afficiunt, principium aliquod materiale, ſubtile, activum, quod in minima quantitate maximam agendi potentiam habet, non denegandum eſſe, ut exemplo *peſtis, febrium malignarum, tertianarumque* quarundam, *variolarum, dyſenteriæ malignæ, luis venereæ, &c.* patet; de ſingulis tamen reliquis idem ſtatuendum eſſe, vix ac ne vix quidem argumento ſatis probabili oſtendi poterit. Complurium enim morborum ratio, ut dicitur, formalis, in mechanica partium ſolidarum ſtructura, figura, conformatione tam externâ, ſuperficiei, quàm internâ, pororum nempe ac meatuum, læsâ conſiſtit, cujus cauſa non una ac ſimplex, ſed multiplex, ac diverſa plane quandoque exiſtit, adeoque fermenti determinati rationem omnino habere nequit. Fluidi quoque corporis texturæ immutatio, ab admixtis heterogeneis particulis, quæ ſolidarum partium poros vitiare ſolent, non eadem, in certa quadam morborum ſpecie, concipi poteſt. Sic omnium accuratiorum practicorum conſenſu *epilepſia* ab acredine quadam fluidi, nunc ſanguinei, nunc ſeroſi, producitur quidem, illam tamen ſemper ſibi ſimilem eſſe, ſeu ſimili textura gaudere in ſingulis ſubjectis, ita, ut certo quodam huic texturæ oppoſito atque contrario remedio infringi ac tolli queat, experientiæ aperte refragatur, cum nunc acidulis domari debeat, nunc alcalicis volatilibus, nunc fixis alcalinis, quorum ſingula propriam habere configurationem, apud omnes in confeſſo eſt. Eadem & *ſcorbuti* ratio eſt. Hic enim, teſte communi experientia, non ſemper à principio ſalino acido fixo originem trahit, quod per determinatum *cochleariæ, chelidonii minoris, trifolii fibrini* alcali inverti debeat, id quod horum noxæ, curatioribus practicis toto die obviæ, docent; ſed ſæpius volatile quoddam ſupponit fermentum, non niſi acidis mitigandum ac deſtruendum. Vid. *Experientiſſimus olim practicus B. Ludovicus pharm. Diſſ. 1. p. 456.* & immortale Salanæ noſtræ decus *Excellentisſimus Wedelius de Facult. medicam lib. 1.*

lib. 1. S. 3. c. 8. p. 110. Ipſe etiam liquorum vitalium motus mechanicam partium ſolidarum ſtructuram pororumque configurationem ſæpius tollit. Quod ſi enim nimio impetu, ob auctum antliæ cordis motum, per arterias in partes irruat, tenellæ ſæpius earum ſtructuræ vis infertur; cumque non tam prompte recipi poſſit à venis, ſubſiſtit facile, concretio ſeu coagulatio, ac inflammatio ſubſequitur. Cujus rei exemplum præbet *pleuritis*, quæ dicto modo, citra ullum fermentum pleuriticum, ſeu ſpinam prægreſſam, contingere poteſt, accedente duntaxat quandoque externi aeris frigidioris allapſu, qui coagulationem ſanguinis in pleura facilitat. Sin motus idem humorum remiſſior ſit, coercitâ quodammodo internâ ſanguinis fermentatione ſeu rarefactione, craſſiores, vel ſaltem ad concretionem pronæ particulæ in propriis meatibus fixantur, indeque ſubſequentis humoris motus impeditur. Ex hoc fundamento plures in corpore humano morbi, iique graviſſimi, oriuntur, in hepate, liene, vaſculis lymphaticis, glandulis, obſtructiones; exinde vero *tachexia, hydropes* univerſales ac particulares; in cerebro *apoplexia, aphonia* &c. vid. *Malpigh. de cerebri cortice c. 4. p. m. 102.* Ex quibus ſanè clariſſimè patere arbitror, licet morborum origo rectiſſimè à potentiis Hippocraticis deducatur, ſingulis tamen determinatam quandam ex iis ac certam addici non poſſe, multo minus omnibus morbis fermentum ſui multiplicativum tribuendum eſſe. Quin illa ipſa miaſmata ſeu fermenta, quæ morbis nonnullis maſſæ ſanguineæ univerſalibus concedenda eſſe, diximus, non ſemper ſibi ſimilia, ſeu uniusmodi figuræ eſſe, à poſteriori, ex diverſitate ſymptomatum, quæ in illis obſervari ſolent, haud improbabiliter colligitur, ut de curatione nihil dicam.

§. XI. Minori adhuc veriſimilitudine gaudet *Helmontii* atque *Tachenii* ſententia, quæ fermenta iſta morbifica omnia abſolutè ad varias acidi ſalis ſpecies refert, certo modo in ſingulis morbis figuratas. Poſtquam enim in genere oſtenſum, omnibus morbis certam ac propriam cauſam non competere,

petere, ſua ſponte quoque ruit hæc eorum aſſertio, cunctorum morborum fermentum eſſe ſpecificum acidum. Cumque porro biga illa principiorum, *acidum* & *alcali*, ad corporum naturalium conſtitutionem abſolvendam, plane inſufficiens ſit, ita, ut tertium, dulce, ſive inflammabile, ac plura forſan, admitti debeant, docente *Ingenioſisſimo naturæ conſulto Bohnio epiſtola de Inſufficientia alcali & acidi p.* 46; fieri nullo modo poteſt, ut unicum acidum ex naturali ſphæra abiens omnes omnino morbos producat, ſed reliquis quoque variè immutatis idem effectus adſcribendus eſt. Neque enim adeo manifeſtum eſt, omnem in corpore ex corruptione humorum oriundam acredinem, quæ ſolidas partes, fibras, glandulas, irritando lædere ſolet, unice à ſale acido dependere, quod *Helmontius* tanquam certisſimum ſupponit. Et ſi vel maxime concedamus, in morbis nonnullis acidum deprehendi, ſtagnanteſque hic illic humores acorem contrahere: quis tamen negabit, eum non potius effectum iſtius mali, quam cauſam, exiſtere, cum ſtagnationem & circuli ſanguinis læſionem ſupponat? Aut quis probaverit, adeo diverſum in ſingulis partibus illum eſſe, ita, ut alius v. c. in *pleuritide*, alius in *cephalalgia*, alius in *eryſipelate*, alius in aliis *inflammationibus* adſit. Eſt enim ubique idem ſanguis, eædem membranæ, eadem cauſa nempe circulatio ſanguinis impedita. Ut adeo non ſpecie ſed gradu diverſus acor in ſingulis hiſce ſanguinis corruptionibus concipi posſit. Par ratio eſſe *vulnerum*, in quibus acidum peculiare collocat *Tachenius*; hoc enim, ſi quod adeſt, pariter ex corrupto ibidem ſanguine poſtliminiò generatur, neque adeo à reliquis ſpecie diſtinctum dici poteſt. Acidum *ſtrumarum*, & *ſtranguriæ* ſpecificum ipſa experientia refutat. Strumæ enim non abſolutè internis, determinate alcalinis, abſorbentibus, ut *lap. pumicis*, *ſpongiæ*, ſed generalibus, lymphæque coagulum diſiicientibus, *diaphoreticis*, ♁*ialibus*, *cinnabarinis*, in primis ☿*libus* internis & externis cedunt, quibus addenda ἐνεργέτικῶς *emollientia*, quale eſt °o *ad ſtrumas Langii*, quod ipſe *Helmontius*

ius commendare non eſt veritus. Veritati etiam apertè re-
pugnat acidum ſpecificum *lipothymicum* à dicto *Tachenio*
aſſertum, quippe *lipothymia* diverſiſſimas agnoſcit cauſas, nec
ſemper poſitivam, ſed ſæpius privativam, ſpirituum nempe
animalium reſolutionem, aut diſturbationem, quale quid in
animi affectibus toto die accidit. Ex quibus omnibus col-
ligere facile licet, quam fruſtra cauſæ morborum ſingulorum
poſitivæ ad certas acidi ſalis ſpecies referantur, ſiquidem ne-
que à priori id de ſenſibilibus, nedum inſenſibilibus, quæ
nodorum titulo veniunt, oſtendi, neque à poſteriori, ex me-
dicamentorum effectu, concludi poteſt.

§. X. PRINCIPIA porro atque MODI AGENDI me-
dicamentorum ſpecificorum ſuperius recenſiti conſideran-
di ſunt, diſpiciendumq́, num iis revera competant, nec ne?
Certis partibus dicata ſpecifica *tota ſubſtantia* agere cenſentur
à *Galeno*. Quanquam vero litigent inter ſe medicorum
proceres, quid per totam ſubſtantiam intelligendum veniat,
ut ſupra dictum: omnem tamen litem compoſuit *accuratiſ-
ſimi Vir judicii, Nicol. Pechlinus Exerc. de purgant. medicament.
facult. c. 2. p. 26. Tota autem,* inquit, *ſubſtantia tum demum
agere videntur corpora, quando ea eſt minimorum ſubſtantialium
inter ſe taxis, ea elementorum omnium ad determinatam actio-
nem neceſſitas, ut vel interrupto minutiarum ordine, vel uno ele-
mentorum deficiente ſubjectum continuo corpus exſpectata actio
deſtituat.* Id quod exemplo *magnetis, electricorumq; corporum*
reliquorum clariſſime oſtendit. Quæ ſi ad medicamenta
ſingulis partibus appropriata referantur, luce meridiana cla-
rius erit, tale quicquam in his nullo modo locum habere.
Quis enim aſſerere audeat e. g. in omnibus cephalicis, ſeu
capiti dicatis remediis, *luna*, & exinde præparatis, *rore mari-
no, fl. liliorum convallium, cinnabari &c.* talem eſſe particula-
rum minimarum coordinationem, quæ exactè particulis ce-
rebrum componentibus reſpondeat, uti magnes ſecundum
poros atque meatus ferro, & hoc viciſſim illi reſpondet.
Nemini enim non conſtat, tum diverſiſſimam ſingulorum,

 quoad

quoad elementa eorumque taxin, eſſe rationem, tum variis præparationibus, extractionibus, ſolutionibus, ſublimationibus, deſtillationibus, texturam particularum maxime immutari, non paucas etiam earum ſecerni. Quæ diverſitas inter medicamenta dicta, & magnetem, tota ſubſtantia agentem, ex eo ſatis elucet, quod hic ignibus exuſtus, vel rubigine exeſus, aut ſpiritu acido arroſus, aut piſtillo confractus, atque in pulverem redactus, vim tractricem ſuam omnino perdat, vel inſigniter amittat; illa vero variis modis igne & liquoribus tractata virium ſubinde augmentum acquirant.

§. XI. Occultas deinde qualitates quod ſpectat, quas, ut in aliis tota ſubſtantia agentibus, ita ſpecificis medicamentis, tanquam agendi principia agnoſcunt alii, eas unanimi conſenſu, jure merito, repudiarunt recentiores, iique accuratiores, naturæ myſtæ, quia omnes illi effectus, quos occultis qualitatibus tribuerunt hactenus, ex mechanicis corporum affectionibus, ſenſibus manifeſtisſimis, deduci posſunt, id quod fuſius demonſtravit *Autor Philos. Vet. & Nov. Phyſic. General. tr. IV. quæſt. 1. p. 528. & ſeqq. edit. Pariſiens.* Ut taceam alios, *Clariſſimus Sturmius lucubrat. MSS. de occultis qualitatibus cap. III.* more ſuo, id eſt, ſolidiſſimè, oſtendit, in illis naturæ effectibus, qui certis indiciis nobis ſe produnt, non poſſe ullas ullo ſenſu qualitates occultas agnoſci. Quid? quod fundamentum, cui occultarum qualitatum doctrina ſuperſtruitur, ſit oppido ficulneum. Nullum enim in rebus naturalibus dari λόγον ὀσίας ſive *formam ſubſtantialem,* neq; nobiliorem neque ignobiliorem, *ſupra. th. 1. & 2.* probavimus. Nec chimicorum ſententia firmiori ſtat talo, quid enim de illorum ſpiritu inſito, quem hic pro agendi principio quoque habent, ſentiendum ſit, jam tum ſupra diximus. Riſu proinde potius quam refutatione dignus eſt *Paracelſus,* qui, dum formas ac ideas corporis humani plantis aliisque medicamentis adſcribit e. g. *euphragiæ* ideam oculorum, cum ratione inſanivit. Neque opus eſt ut longius immoremur

Helmon-

Helmontio convincendo, qui, dum modò *donum Dei*, modò *phantaſiam formarum*, modo *ſpecificos ſapores*, modo *fracedinem ſeminis fermentalem*, à ſpiritu inſito promanentem, principium agendi conſtituit, in inconſtantia ſua conſtans eſt.

§. XII. Videamus nunc SIMILITUDINEM, qua medicamenta ſpecifica agere creduntur. Sed quænam iſta ſimilitudo cordis cervi atque osſiculi in eo reperti cum corde humano; pulmonum vulpis, hepatis lupini cum pulmone & hepate humano, quâ *Galenus* ejusque ſectatores adeo delectantur? Quam quæſo dictum illud osſiculum alit affinitatem cum carne cordis humani muſculoſa? *Os eſt*, verbis utar *Hoffmanni de medicamentis officinal. Paralip. cap. 22. p. 520, neque facultatem ab aliis oſſibus peculiarem habet. Quam autem dignitatem habet, conciliavit illi locus in animali princeps.* Si rem accuratius perpendas, fateberis, longe aliam eſſe formam corporis humani ejusque partium, atque corporis cervini, vulpini, lupini; quia particulæ horum corporum materiales aliter atque aliter, docentibus accuratioribus philoſophis, conſtitutæ ſunt atque diſpoſitæ. Porro unde probabunt, pulmonem vulpis, hepar lupinum, veſicam ſuillam aut capræ, fibris eorum adeo comminutis, inque pulverem redactis, atque cum chylo & ſanguine intimè communicatis, particulas quasdam materiales ad membranas pulmonum, hepatis, veſicæ hominis, nec alias quasvis partes æque mittere, eorumque viſcerum tonum roborare? Idem judicium eſto de reliquis hujus farinæ ſpecificis medicamentis. Quæ vero de ſimilitudine ſpirituum inſitorum partium corporis humani cum membris brutorum, ut & cum vegetabilibus ac mineralibus afferunt Chimici, nullius ſunt momenti, cum ex ſuperius dictis ſatis ſuperque conſtet, ſpiritus inſitos corporum naturalium atque ideas, mera eſſe figmenta, & tantum verbalem parere medicinam.

§. XIII. Nec eſt quod ab aſtris exſpectent quicquam auxilii ad commonſtrandam iſtam ſimilitudinem, ſiquidem influxus aſtralis præter ☉rem & ☽em, in hæc inferiora, ab

accuratioribus Mathematicis ac Phyſicis non tantum in dubium vocatur, ſed etiam merito exploditur. Quid enim ex aſtris, præter lumen & illud comitantem calorem, in hæc inferiora deſcendit? Utrumque autem horum ſenſibile Soli unice debetur, cum planetæ non proprio, ſed alieno & à ſole emendicato gaudeant lumine, quod multo debilius eſt, quam ut adeo agere poſſit. Propterea lucula planetarum, licet fixarum ſtellarum radiis copioſiſſimis conjuncta ſit, tenebris nocturnis diſpellendis non ſufficit, atque abſente alia ſplendidiori luce vix leviter tenerrima organi viſorii filamenta afficit, quam ergo aliam, eamque ſingularem à ſole diverſam exercebunt ἐνέργειαν? Stante hac hypotheſi, ne probabile quidem eſt, planetarum iſtam lucem mutuatitiam terræ viſceribus ſeſe inſinuare, ibique ſingulos ſingula gignere metalla, ſcilicet ♄ num plumbum, ♂ ferrum, ♃ ſtannum &c. Neque enim ſolis calor atque virtus eo usque penetrare videtur, ſed quicquid concretionis ibi fit metallicæ, igni potius ſubterraneo adſcribendum. Idem ſentiendum de vegetabilibus & corporis humani partibus. Deinde ſi quam maxime concederemus aſtrorum tum planetarum lumen, diſtantia tamen nimia obſtaret, quo minus ad ſublunaria hæc vis ejus derivari poſſet. Fixæ quippe ſtellæ, quæ planetis longe majores ſunt, & totidem ſoles in ſuis vorticibus conſtitunt; quia ſunt remotiores, in hæc inferiora non agunt ſenſibiliter. Unde quoque ab illis, qui influxum aſtralem defendunt, fixis denegatur influxus in hæc inferiora. Tum quoque nullo unquam vel ad ſpeciem veroſimili experimento aut indicio comprobari poteſt, ex hoc vel illo Planeta in ſublunaria, in hoc vel illud metallum, hanc vel illam plantam partemque corporis humani, aliquid deſcendere virtutis. Cum itaque affectiones iſtæ quæ planetis tribuuntur, ♄ eſſe frigidum, ♂ tem calidum, ♃ & ♀ humidam, omni deſtituantur fundamento, ut ſæpe laudatus *Sturmius fuſius demonſtravit diſſ. de Influentia aſtrorum cap. 2, §. 4*, non poſſum non ſubſcribere *Lemery Curſ. Chim.*

part.

part. 1. p. 57. m. & 268. Certè, inquienti, *quotidie comperimus falſas eſſe, quas vulgo planetis ac metallis tribuunt qualitates.* Neque enim in ferro illam exceſſivam caliditatem quisquam deprehendat, quam ♂ cœleſti vulgo tribuunt, ſed quicquid virtutis poſſidet, à particularum terrearum diſpoſitione tali proficiſcitur, quæ aciditatem juxta ac aquoſitatem in corpore ſtagnantem imbibere poſſit. Nec in argento humiditatem illam decantatisſimam ☽æ cœleſtis invenire eſt, quin potius argenti & plerorumque metallorum, ipſiusque auri vis atque efficacia omnis ♀i ſubtili metallico accepta ferenda. Idem patebit examinanti plantas, quas ♄nas, ♃ales, ♀eas, &c vocant, quibus præter nomen nihil cum planetis commune eſt.

§. XIV. Quod attinet ad dignitates planetarum, domos, thronos, carpenta, & *συζυγίας* cum aliis aſtris, in quibus, dum conſtituti ſunt, vires longe excellentiores poſſidere, & in ſublunaria derivare creduntur, ſicco, quod dicitur, pede illa prætereo, cum incerta, falſa, & ſuperſtitioſa ſint; demonſtrante id uberius *Sturmio loco paulo ante citato* §. 5. Ex his evidenter apparet, fruſtra ab aſtrali influxu accerſi ullas medicamentorum vires, maximè ſpecificas. Ruunt itaque ſponte ſua, quæ *Clariſſ. Wirdigius* fundamento tam lubrico ſuperſtruxit. Spiritum, quem ubique crepat, nullis rationibus ſtabilivit, nec unquam, quod pace tanti Viri dixerim, aliquis ſtabiliet. Hac ratione cadunt quoque ea, quæ de colligendis certo tempore ſpecificis plantis præcipiuntur, in quarum collectione tamen potius aniles fabulas, quam leges Aſtrologorum ſequuntur. Vin' exempla? En plurima ſeſe nobis offerunt, ex quibus pauca adducam: Radicem *Pœoniæ* effodere jubet *Rolfinc. O. & M. Comm. lib. 7. S. 1. c. 14. p. 641.* Aprili menſe ☉e in ♈ exiſtente, & ☽ in oppoſito, nempe ♎. Alii, monente eodem, colligendam cenſent menſe Julio ☉ exiſtente in ♌, in meridie, die ☉ri, decreſcente ☽ aut plane ſilente, quod vult *Hartmannus in Praxi p. m. 69. Macaſius Promtuario Mat. Medic. Lib. 2. Cap. 22.* illam colligere jubet *in Mar-*

tio vel Aprili, tribus ultimis diebus lunæ decreſcentis poſt mediam noctem, mane ante ☉*is ortum ſole exiſtente in* ♈ *&* ☽ *in* ♂ (quam lunæ exiſtentiam in marte capere non poſſum). *Lignum corylinum* ab eodem autore colligitur *tempore balſamico, nempe quando* ☽ *verſatur in* ♒, *& quidem die* ♀, *id quod fit ſingulis annis bis vel ter ante ortum* ☉*is. Viſci querni* colligendi tempus eſſe credit ☽*na decreſcente inter duo Mariæ feſta.* Quæ omnia quam benè cum Aſtrologicis præceptis conveniant, & quam amice inter ſe conſpirent, judicare facile poteſt, qui præjudiciis nimium non indulget.

§. XV. Quemadmodum verò ſimilitudo illa, quam inter medicamenta ſpecifica & partes corporis ſibi fingunt, ex aſtris comprobari non potuit: ita multo minus ex *ſignatura*, quam plantæ nonnullæ referunt, poterit demonſtrari. Nam ab externa figura ad internam corporis alicujus conſtitutionem argumentari non licet. Si enim hoc valeret, cur non alia capitis formam habentia cephalicis annumerantur, quæ tamen nihil opis adferunt in capitis affectibus, qualia ſunt *juglans, cucurbita, nux ſtaphylodendri, caryophyllata aquatica capitulo vel flore nutante Baubini &c?* Ipſe etiam *Helmontius* jam tum agnovit hujus argumenti imbecillitatem *tr. pharmacopolium ac diſpenſ. modern. §. 5. Scio,* inquit, *infallibiliter Archeo vegetabilium nullam nobiscum eſſe cognationem Anatomicam, ſive totum, ſive demum partes ſpectemus.* Et paulo poſt *§. 6. obriſi itaque Paracelſum, quod hujusmodi nugas ſerias in principia medicinæ erexerit.*

§. XVI. Acceſſum nunc faciemus ad *poſterioris claſſis* ſpecificorum principia agendi, quorum non pauca talia ſunt, quæ non niſi empiria introduxit, quorumque ratio agendi ipſos fugit laudatores. Experientia verò, ſecundum *Hippocratem*, maxime fallax eſt. Nam videas, homines duro neceſſitatis telo urgente ad quælibet, quæ vel anus, vel opilio commendat, confugere, quibus, morbo alia quacunque de cauſa ceſſante, ſtatim juvaminis ratio, & ſpecifici titulus imponitur, ſicque nullibi ſæpius committitur fallacia non cauſæ

ut

ut cauſæ, quam in praxi medica. Nonnulla etiam religio vel potius ſuperſtitio huic cenſui inſeruit. Ex hoc enim fonte famoſiſſimæ illius contra epilepſiam plantæ *Pæoniæ* uſum promanaſſe, cum *Caſp. Hoffmanno* conjicit *Pechlinus diſſ. de Epilepſia, & ſpecificis contra eandem art. 21*, radicem nempe fuiſſe πιπλεσμένην. De *verbena* & *viſco quercino* idem paulo poſt affirmat, potiſſimam eorum exiſtimationem deberi Magorum ceremoniis. Cujus rei fidem facit dictarum plantarum & aliarum bene multarum pro uſu ſpecifico inſtituta collectio cum inſigni ſuperſtitione Chriſtiano indigna.

§. XVII. Sed veniamus ad rem, & expendamus ipſa, quæ ſupra ex variis autoribus attulimus, ſpecificorum *agendi principia*. In his primo occurrit *Galeni proprietas ſubſtantiæ*, quã, licet prima fronte incongrua eſſe videatur, haud tamen inconvenienter, ſi recte explicetur, ad eam referas ſententiã, quæ paulò poſt explicabitur. Succedunt *Helmontii* aliorumque *ideæ rerum ſeminales*, quas principia agendi ſpecificorum nonnullorum conſtituunt, v. g. quando *curationem eryſipelatis ac dyſenteriæ in lepore ponunt*. Verùm ſupponit *Helmontius*, id quod eſt κρινόμενον. Probet itaque dari tales ideas, quas ipſe ſolidiori Phyſicæ atque Medicinæ conatur obtrudere. Abſurdum eſt ſtatuere v. g. timorem qui à ſpirituum animalium diſſipativo motu oritur, & nil niſi accidens eſt, in lepore demortuo adhuc exiſtere, ubi tamen ſpiritus in auras dudum abierunt. Spiritibus verò negatis negatur quoque per conſequens timor. Qui igitur non enti aut potius enti rationis (non incommode ſic vocares ideas, quippe concipiuntur tantum ab intellectu *Helmontiano*, non autem in rerum natura revera exiſtunt) tribui poteſt tam egregius in corpore humano effectus, quod ſcilicet archeum furibundum demulceat, aut quaſi freno compeſcat, cum nonentis nullæ ſint affectiones reales? Craſſiorem verò errat errorem, dum inanimatis quoque tribuit phantaſiam, per quam effectus ſingulares edant. Idem ſentiendum de vi irradiativa, quam in metallis, mineralibus, gemmis, eſſe, & effectus producere ci-

tra

tra particularum materialium concurſum, falſo idem affirmat *Helmontius*, v. g. quod *cinnabaris* dolores ſedet, *mercurius* in aqua decoctus vermes necet &c. Hanc ſententiam ab *illuſtri Boyle de mira ſubtilitate effluviorum cap. 5.* refutatam videre licet.

§. XVIII. Sed præ reliquis conſiderationem meretur illorum aſſertum, qui ab *Hippocraticis facultatibus* ſpecificorum certis morbis dicatorum vires repetunt, cum reliquis omnibus probabilitate antecellat, & propterea multorum hodie conſenſum impetret. Exiſtimant verò ejusdem Patroni, cùm per iſtas potentias, longè rectius, quam qualitates primas, morborum cauſæ hodie explicentur; illarum autem ratio unice in diverſa materialium corpuſculorum, tam ſenſibilium quam inſenſibilium, eaque mechanica figuratione & agitatione conſiſtat: non dubitandum eſſe, quin inter remedia dentur talia, quorum interior particularum figura, magnitudo atque ſtructura, contraria ſit cauſæ morbificæ, ita ut illorum conjunctione, nova emergat figura atque ſtructura à ſtatu naturali non aliena: uti videas aſperitatem particularum rigidarum mollium & flexibilium interventu tolli. Hoc ita ſeſe habere inde probant, quod experimentis conſtet, ſingulas corporum naturalium, præſertim medicamentorum, ſpecies, diverſas à ſe invicem ac determinatas particularum componentium configurationes ac ſtructuras habere, atque adeo ad certum quendam effectum producendum aptas eſſe. Experimenta ejusmodi & obſervationes plures recenſet πολυμαθέστατος *Borrichius de Hermetis & Ægyptiorum ſapientia cap. 5. §. 8. p. 353. & ſeqq.* Ubi contra *Conringium* oſtendit, neque in ſalibus poſt expertam ignis violentiam ceſſare illam ſpecificam particularum texturam atque compoſitionem, effectusque ab illa profectos. Inter alia verò in laboratorio magni Ducis Hetruriæ ſecretiori ex infinitis prope plantis, moderato igne exuſtis, ſe vidiſſe ſcribit prolicita ſalia lixiva, quæ omnia pulcherrima facie & diverſiſſima figurarum varietate naturæ ſuæ diverſitatem teſtentur, dum alia cylindros,

alia

alia quadras, pyramides, rhombos, priſmata, trigonos, cruces, cuneos, cubos rudiores, & innumera varii generis trapezia exhibuerunt. Et hujus rei teſtem αὐτόπτην citat *Antonium Olivam*, qui prolixè complurium ſalium, ex plantis diverſis paratarum, figuras recenſet apud *Carolum Fracaſſatum epiſt. de lingua p. m. 156.* Deinde eandem ſententiam confirmant experimenta *Tachenii Hippocrat. Chim. cap. 16.* ubi ⊕l. ♂is diverſis ⊖bus alcalib. ▽tum varium colorem exhibuit; id quod pari ſucceſſu cum ☿△to in aqua ſoluto, & variis herbarum ſalibus affuſis tentatum, ubi alia horum varii coloris pulverem, alia verò nihil, ▽tarunt, ut latius legitur apud eundem *autorem l. c. c. 7. p. m. 31.* Quod ſi ergò ſalia exuſta adhuc determinatam illam particularum ſtructuram & figuram, quæ ſecundum *Du Hamel conſenſu vet. & nov. philoſ. lib. 2. c. 4. deſignatione quadam divina impreſſæ ſunt*, retineant, quantò magis in reliquis mixtis ſibi relictis, & inprimis medicamentis ſimplicibus, vel haud adeo præparatione immutatis, peculiaris ſingulorum forma concedenda erit, quam affectiones aliæ, ſapores, odores ſpecifici, gravitas ſpecifica aliaque, ſenſibus patefaciunt.

§. XIX. Ex quo conſequitur negari adeò non poſſe, quod in vaſto medicaminum numero ſubinde exiſtant quædam, quæ quoad texturam particularum ſuarum adverſæ ſint certis quibusdam materialibus particulis in corpore ægro hærentibus, conſtitutionemque naturalem lædentibus, quarum figura una cum agendi virtute, illarum occurſu atq; implicatione, mutetur ac tollatur. Verumenimverò quia primò corporum medicamentoſorum ſtructura atque figura mechanica interior ac determinata, quæ tamen ſenſibilis magis eſt, nos utplurimum latet, cauſarum quoque morbificarum minima materialia, quoad ſtructuram & figuram imperveſtigabilia ſunt, nam in corporis penetralibus deliteſcunt, & maximam partem inſenſibiles ſunt; deinde quia eædem cauſæ ut ſupra §. 8. oſtenſum, non in omnibus morbis gene-

re, ſpecie, vel ſaltem gradu conveniunt, ſed ſæpe plurimum à ſe invicem differunt, fieri non poteſt, ut ſemper medicamentum determinatè ſeu ſpecificè huic vel illi morbo contrarium reperiamus, quamvis in rerum natura exiſtat. Nondum enim hactenus *Helmontius* atque *Tachenius* in decantatis adeò ſpecificis, *priapo cervi*, vel *tauri, ſanguine hirci, lapide percarum, lapide ſpongiæ*, aliique in aliis ſpecificis, internam illam ac determinatam particularum ſtructuram demonſtrare potuerunt, quæ *pleuritidis dyſenteriæ, ſtranguriæ, ſtrumarum* cauſæ adeo contraria ſit.

§. XX. Nec eſt, quod ab *experientia* ſententiæ ſuæ præſidium petant, hæc enim contrarium potius teſtatur. Siquidem accuratiores practici mecum fatebuntur, pleuriticos ſæpiſſime citra ulla hujusmodi ſpecifica, ſolùm adhibito in principio diaphoretico ex *miſtura ſimplici* vel *Tinct.* quadam *bezoardica* & *pulveribus reſolventibus, ex cancrinis, antimoniatis, cinnabarinis* paratis, addito pro rei neceſſitate *opiato*, æquè citò, tutò ac jucundè priſtinæ ſanitati fuiſſe reſtitutos. Idem de *dyſenteria* inprimis maligna valet, quam conſummatæ Vir experientiæ *Dn. D. Wedelius* ſine *priapo ceti* vel *cervi*, ſolis *bezoardicis*, pro re nata volatilibus, vel mediis in principio, in progreſſu fixioribus & junctis *adſtringentibus*, ubique additis *opiatis*, in quàm plurimis una æſtate feliciſſime curavit, vid. *opiol. ejusdem lib. 2. S. 2. c. 5. p. 122.* Plura recenſeri poſſent ſic dicta ſpecifica, quæ ſuos laudatores fefellerunt, niſi ſtuderemus brevitati; unicum tamen adducemus exemplum famoſiſſimæ *Chinæ Chinæ*, quæ tantum abeſt, ut in multis domuerit quartanam, ut potius ſperatam opem attulerint medicamenta generalia *&ialia*, cum *ſtomachicis* conjuncta, interpoſitis ſubinde volatilibus ammoniacalibus. Quicquid ergo præſtant ſpecifica, præſtant vi generali reſolvendi, abſorbendi, invertendi, &c. Agmen claudat ſententia *Tachenii*, qui *alcali ſalis* ſpecies varias pro ſpecificorum medicamentorum principio agendi habet. Cum verò non omnes morbi

bi ab acido in genere, nedum ſpecifico, oriantur, falſum eſt ab alcali ſpecifico affectus quoscunque domari atque exſtirpari.

§. XXI. Conſideratis principiis agendi poſterioris claſſis ſpecificorum, MODUS eorum operandi excutiendus erit, qui ab omnibus fermè in *contrarietate* conſiſtere dicitur. Ambabus verò licet, quod ajunt, manibus largiamur, contrarietatem inter medicamenta & cauſas morbificas in genere dari, illam tamen ἀντιπάθειαν eſſe ſpecificam, id eſt, medicamentorum certorum texturam uni tantum morbo, non pluribus contrariam eſſe, ſupponentes ex ſuperioribus, medicamentorum & cauſarum morbificarum affectiones, & modificationes in genere tantùm, non in ſpecie eſſe cognitas, hoc eſt, quod negamus. Sic conſtat, aſperum levi, fluidum firmo, acidum alcali, &c. contrariari, ſicque fieri immutationem, non verò patet, hoc aſperum illi levi, hoc acidum illi alcali, hoc fluidum illo firmo eſſe contrarium. Omnium verò minime locum habere poteſt amicitia iſta, quam citra omnem rationem inter alcali & acidum fingit *Tachenius*, & ob quam ſpecifica medicamenta tollere vult cauſas morbificas. Sympathia enim ſive amicitia inter res inanimatas dudum ab accuratioribus naturæ myſtis exploſa eſt, cum nil niſi inane nomen præ ſe ferat, uti apud ipſos latius legi poteſt. Et quidni hæc *Tachenii* ſententia falſa ſit, cum ſimilia quibus eandem non tam illuſtrare quam probare ſatagit, apertam falſitatem ſpirent, & toto cœlo à re præſenti diſtent. *Magnes* enim non ob amicitiam ſingularem ferrum attrahit, ſed propter pororum æqualem configurationem, per quos materia cœleſtis mota, vi quadam unum ad alterum propellit. Quæ verò de *lapide ſerpentis capillati* ſeu pileati ex *Kirchero* affert, experientiæ omninò non reſpondent, teſtantibus id *Franciſco Redi Experim. natural. p. 14. & 89.* & *Autore philoſ. Vet. & Nov. Phyſic. Gen. tr. 4. qu. 1. concluſ. 2.*

§. XXII. Ultimo tandem loco duo illa reliqua pro con-

firmandis ſpecificis prolata fundamenta ſpectanda ſunt. Horum prius à contrario petit *Galenus*, dum putat, ideo concedi debere medicamenta certis partibus amica & appropriata, quia è contrario quædam dentur, nonnullis membris ſpeciatim infeſta atque noxia. Exempla affert *canthàridum* & *leporis marini*, quorum illæ nullam corporis partem præt. r. *veſicam*, hic ſolum *pulmones* lædat. Atque hæc ſententia adeo in medicorum ſcholis eſt recepta, ut nemo ferè contra eam muſſitare audeat. Verumenimvero, quam à veritate aliena illa ſit, ſuo jam tempore cognovit laudatus ſæpius *Eraſtus de Occult. Pharm. pot. c. 36. p. 66.* Ex pluribus enim autoribus primò experimenta affert contraria; inprimis citat *Ant. Muſam Braſavolum expoſ. aph. 17. l. 2.* ubi ſequentem refert obſervationem; *Vincentius Grema, inſignis Chirurgus medicamentum bibit, cujus pulveres in mortario pinſi fuerant, in quo prius cantharides in pulverem redegerant. Hic vir ab ore usque ad anum excoriatus eſt, & miram veſicæ excoriationem habuit.* Ex quo clariſſime patet non ſolum veſicam, ſed plures etiam alias partes internas membranoſas à *cantharidibus* infeſtari. Quid? quod etiam cutim egregiè corrodant, uti toto teſtantur die veſicatoria exinde parata. Ratio deinde cur minus frequenter primarum viarum membranas lædant, facile dari poteſt, quòd acuta acerrimi ſalis ſpicula in primis viis, ab humoribus viſcoſis ac glutinoſis, involuta, vires ſuas nequeant exſerere; in renibus autem & veſica ubi in aquoſo, ſalibus jam tum referto, ſero ſolvuntur & magis exaltantur cantharidum ſpicula, virtutem ſuam irritantem & erodentem longe potentius exercere poſſunt. *Leporis marini* eadem ratio eſt, quæ cantharidum; nam & hic quoque non ſolos pulmones, ſed multas etiam alias lædit partes *teſte eodem Eraſto l. cit. c. 37. p. 68.* De Experientia, quantum ipſi ad probanda ſpecifica fidendum ſit, paulo ante §. 20. actum eſt, unde plura hic addere non opus eſt, niſi unicum hoc, quod celeberrimus *Borrichius* notat de *Verbena* in doloribus capi-

tis

tis ab omnibus adeo deprædicata, *Actor. Haffn. Volum. V. obſ. LXII. p. 156. Quod Foreſtus*, inquit, *refert, à verbena è collo ſuſpenſa ſedari dolores capitis, id licet ſæpe experiri placuerit, tum in planta viridi, tum ſicca, nunquam tamen evidenter ſucceſſiſſe animadverti.*

Cap. IV.

Quæ ex fundamentis iſtis fluant, paucis ſubnectit.

§. I.

Poſtquam varia variorum autorum fundamenta, quibus ſpecifica ſua ſuperſtruunt, pro ingenii modulo conſiderata fuere: conſequens nunc eſt, ut breviter indicetur, an ſpecifica, ſupra capite primo, ex autoribus variis, recenſita, concedi poſſint? Duas conſtituimus ibidem claſſes. Ad priorem quod attinet, qua certa medicamenta certis partibus aſſignantur, quæ earum actiones roborent ac meliores reddant, non immerito negatur, eadem in medicina locum habere, cum fundamenta, quibus nituntur, fuerint deſtructa. Nam ſpiritus inſiti & fermenta partium corporis & ſpiritus inſiti medicamentorum, & forma eorum ſubſtantialis ſpecifica, exſpirarunt. Ex quo porro fluit, diviſionem illam facultatum medicamentorum *Galenicam* à partibus corporis organicis deſumptam incongruam eſſe, adeoque nulla abſolute dari medicamenta *cephalica, ophthalmica, otica, ſtomachica cardiaca, hepatica, ſplenetica, uterina* &c. ſed potius eorum diviſionem à cauſarum morbificarum varietate eſſe petendam. Non tamen adeo improbanda eſt illa medicamentorum in cephalica, ſtomachica &c. diviſio, inprimis ſi cum grano ſalis accipiatur, & talia per illa intelli-

telligantur medicamenta, quæ cauſas morbificas, capiti, ventriculo, &c. inhærentes actionesque eorum maximè lædentes deſtruant ac tollant. Conſulitur enim hoc modo quam optime diſcentium memoriæ & profectibus. Quo reſpexit, qui ad formandos medicos natus eſt, *Excellentisſimus Dn. D. Wedelius tract. de medicam. facult. lib. 1. ſect. III.*

§. II. Sequitur poſterior ſpecificorum claſſis, quæ certis morbis certa tribuit medicamina, cujus generis ſunt ſpecifica *antepileptica, antipleuritica, antidyſenterica* &c. Hujusmodi medicamenta in rerum natura exiſtere quidem, ſupra conceſſum eſt, nobis vero à priori nec cognita eſſe, nec à quoquam exactè cognoſci poſſe, cum interna illa particularum figura atque ſtructura omnino nos lateat; plura huc facientia ex c. 3. §. 19. non repetam, ne cramben, quod ajunt, bis coctam apponam. Sequitur itaque neque hujus claſſis medicamentis locum in medicina eſſe concedendum. Fatendum tamen eſt, in medicamentorum generalium v. g. reſolventium, abſorbentium, præcipitantium &c. applicatione reſpiciendum eſſe ad eas medicamentorum affectiones, ſeu particularum & pororum ſtructuram, quæ ſenſibus patet, adeoque ſelectum inter illa quendam inſtuendum. Sic *ſodæ* magis *creta* convenit, quam aliud quoddam alcalinum, ob poros patentiores, quæ aqueas iſtas acido junctas particulas longe promptius quam alia imbibit. Idem valet de ♂*libus* in malo hypochondriaco, cachexia, chloroſi &c.

Hæc ſunt B. L. quæ hac vice de ſpecificis diſſerere placuit, quorum nonnulla ſi palato tuo non arrideant, tribuas materiæ intricatæ, & hypotheſium varietati. Si quæ protuleris in medium accuratiora, illis adeo non refragabor, ut potius lubentisſimè ſubſcribam.

S. D. G.

PRæ reliquis virtute valent medicamina certa,
Quæ dum ſcrutaris, commoda plura legis.
Virtutis ſtimulus ſic mentes pellere ſuevit:
Quæ ſtrenuè ſatagunt, haſce manebit honor!

Præeximio Dno. BOHEMO, Amico & Auditori ſuo indefeſſo, gratulabundus hæc ſcripſit

Auguſtinus Henr. Faſchius,
D. P. P. p. t. Decanus & Academiæ Rector deſignatus.

DUm benè diſtinguis medica arma fugantia morbos,
Auguror inſignem Te fore mox medicum.

αὐτοσχεδιασὶ *facieb.*

G. W. Wedelius, D.

Sic

SIc itur ad Phœbeïam
Artem; prius cum diſcimus
Artes bonas fideliter,
Quam ſacra Divini ſenis
Tractemus. Iſtam fortius,
BöHMI, viam curris. Tuam
Laudabilem pergas viam.
Sic auferes mox præmia.

Ita Pereximio Dn. Reſpondenti, Auditori & Amico ſuo honorando, de egregiis in Medicina ſolidiori progresſibus gratulatur, & fauſtisſimos porro ſucceſſus apprecatur.

PRÆSES.